

CHRYSOSTOMI
IAVELLI

CANAPICII,

ORDINIS PRÆDIGATORVM,


Philosophi & Theologi eruditissimi,

TOMVS TERTIVS.

Nunc primum in lucem editus.

Quicquid contineat, duæ sequentes paginae indicant.

*Cui adiunctus est Index copiosissimus, secundum ordinem Alphabeti, omnium memorabilium,
quæ in singulis Auctoris operibus continentur.*



LVGDVNI

APVD SYMPHORIANVM BERAVD.

M. D. LXXX.

70 Pedro de Aguirre Comiss. del S. M. de Navarra
de la villa de Bilva que este libro La question de
Dei predestinatione ad acentium conforme a expung
del d. S. M. de Navarra de Navarra de Navarra

Pedro de Aguirre



AVD SYMPHORIANVM BERAVD
M. D. LXX



INDEX EORVM, QVÆ IN
hoc Tertio Tomo continentur.

<i>Quæst. super Quartum Arist. Meteororum.</i>	fol. 1
<i>Quæst. super lib. de Sensu, & Sensato.</i>	32
<i>Quæst. super lib. de Memoria & Reminiscentia.</i>	32
<i>Tractatus de Bona Fortuna.</i>	34
<i>Quæstio de Conceptione B. M. V.</i>	36
<i>Tractatus de Anima humana indeficientia.</i>	39
<i>Epitome super Spheram.</i>	66
<i>Quæstio de Dei Predestinationis & Reprobatione, ad Excelsimum.</i>	81

90.



INDEX QVÆSTIONVM ET CAPITVM
hoc tertio Tomo Chrysofthomi Iauelli, Canapicij contentorum.

*Quæstiones super quartum librum Meteororum
Aristotelis.*

<p>S I primæ qualitates sunt causæ elementorum. q. 5. 1</p> <p>Si calidum & frigidum sunt tantum actiua sic- cum autem, & humidum tantum passiuum. q. 2. 2</p> <p>Si diffinitio generationis posita ab Aristor. est bona q. 3. idē</p> <p>Quomodo Calor & frigus generant mixtum præcipue cum frigidum sit corruptiuum & mortificatiuum. q. 4. fol. 2</p> <p>Si putrefactio est finis omnium naturalium, & artificia- lium. q. 5. idem</p> <p>Si omnia elementa putrescunt præter ignem. q. 6. idem</p> <p>De putrefactione q. 7. idem</p> <p>De impediētibus putrefactionem. q. 8. 3</p> <p>Quare ex putrefactis generantur animalia nunquam au- tem lapides aut plantæ. q. 9. idem</p> <p>De digestionē quid sit in genere, & à quibus causis fit, & quot modis in genere. q. 10. 4</p> <p>Si tantum tres sunt species digestionis, & tres indigestio- nis. q. 11. 5</p> <p>De pepansī quid sit & quotuplex, & quas proprietates ha- bet q. 12. 6</p> <p>Si Maturatio apostematis fit à Calore naturali, vel innatu- ralis. q. 13. idem</p> <p>De Hemothe quæ opponitur pepansī. q. 14. 7</p> <p>De Eplesi quid sit, & quotuplex, & quæ sint proprietates eius. q. 15. idem</p> <p>Si frixa debent dici assa. q. 16. 8</p> <p>Si Elixata sunt sicciora assatis. q. 17. 9</p> <p>De Molinī quid sit, & quæ sint causæ eius & quæ proprie- tates eorum, quæ passa sunt molinī. q. 18. 9</p> <p>De opthesi quid sit, & an fiat tantum arte. q. 19. 10</p> <p>Si elixata transmutantur ad opthesim fiant assa, & non per- maneant elixata. q. 20. 10</p>	<p>Si vermes qui dicantur lumbrici generentur in medio ven- tre, qui est stomachus an in infimo id est, in intestinis. q. 12. idem</p> <p>De impressiōibus qualitatum passiuarum, & de duro, & molli, à quo sint, & quid sint & quotupliciter dicantur q. 22. 11</p> <p>De exsiccatione quæ arefactio etiam dicitur, & de hume- ctatione quid sint, & quorum sint & à quibus agentibus fini. q. 23. idem</p> <p>De congelatione & coagulatione, de conglutinatione, & impinguatione, de coadunatione & de suis oppositis, quid sint, quorum sint, & à quibus sint. q. 24. 12</p> <p>De liquatione, & solutione quid sit, & à quibus causis fit. q. 25. 13</p> <p>Quare coagulatorum, quædam sunt solubilia quædam in- solubilia & quare oleum non coagulatur. q. 26. idem</p> <p>Quæ sunt coagulabilia & incoagulabilia & quæ liquabilia & quæ illiquabilia. q. 27. 14</p> <p>De mollificabili & immollificabili. q. 28. idem</p> <p>De madafactibili, & immadafactibili, quid sint & quibus competant. q. 29. 15</p> <p>De Curuabili, & incuruabili, siue de flexibili & inflexibi- li, dirigibili, & indirigibili, quid sint, cuius materiæ sint. q. 30. idem</p> <p>De frangibili & comminuibili. q. 31. 16</p> <p>De impressibili, & formabili, & capibili & de suis opposi- tis. q. 32. idem</p> <p>De trahibili, & ductili, & de suis oppositis. q. 33. idem</p> <p>De scissibili & portionatiuo, & troncabili, & suis opposi- tis. q. 34. 17</p> <p>De viscosis & Commassabilibus, & suis oppositis q. 35. idē</p> <p>De vitibili & euaporatiuo & inflammabili & suis opposi- tis. q. 36. 18</p> <p>Quomodo cognoscere possumus, ex impressiōibus præ-</p>
---	---

*

dictis, quæ mixta sint aqua aut terra aut aer à prædomi-
nio, aut communia terræ & aquæ. Quæstio. 37. 38 idem
Quæstiones super librum de sensu & sensato Aristotelis.

DE necessitate horum tractatum, de ordine eorum
ad inuicem ad quam partem naturalis philoso-
phiæ immediate sequitur, liber de sensu & sen-
sat. q. 1 22

Si appetitus inest soli animali, ita quod non plantæ. q. 2. 23

Quare sensus sint situati in capite & in parte anteriori.
quæst. 3 idem

Quare sensus situati sunt in parte superiori & in anteriori.
q. eadem idem

De sufficientia sensuum exteriorum ibidem. idem

Quem ordinem habet inter se secundum prius, & poste-
rius ibidem. 24

Si tactus & gustus inest soli animali. ibidem idem

Si visus magis confert scientiæ acquirendæ quam audi-
tus. q. 5 idem

Si omnia corpora participant colore. q. 6 idem

Si oculus celeriter motus in tenebras videt se. q. 7 25

Si in organo visus est ignis, vt dicebant antiqui. q. 8 idem

Si visio fit extramittendo vel intus recipiendo. q. 9 idem

Si organum odoratus attribuendum est igni. q. 10 26

Si organo tactus & gustus dominatur terra. q. 11 idem

Si de omnibus obiectis quinque sensuum, considerandum
est in libro de sensu & sensato. q. 12 27

Si sensibile in actu, & sensus in actu sunt idem. q. 13 idem

Si distinctio Coloris est bene assignata à philosopho. quæst.
27. fol. 35

De distinctione, & generatione extremorum colorum &
mediorum. q. 15 28

Quæ sint principia saporis & quid. q. 16 29

Quomodo generantur extremi & medij saporis. q. 17 30

Quæ sunt principia odoris, & quomodo generatur, &
quid sit. q. 18 idem

De speciebus odoris, quæ correspondent speciebus sapo-
rum. q. 19 31

Si homo melius discernat differentias odorum, quam bru-
ta. q. 20 idem

Si species saporum, & odorum sunt finitæ. q. 21 idem

*Quæstiones super librum de Memoria & Remi-
niscencia, Aristotelis.*

DE memoria vt potentia est quid sit, &c. q. 1 32

Quid sit memoratio, & quot potentia interiores cõ-

currunt ad hunc actum, & quo ordine q. 2 33
Quid est reminiscencia, & quomodo differt ab iterum ac-
discere, vel iterum inuenire & quomodo fit & quid ad-
dit super memorari. q. 3 idem

Capita in librum de bona fortuna.

Quid sit bona fortuna ca. 1 34

Circa quæ bona ponitur. ca. 2 34

Qui sint bene fortunati. ca. 3 35

Quæ sint proprietates benefortunatorum. ca. 4 35

Quæstio de Conceptione. B. V. M. 36

Tracta. de Animæ Humanæ indeficientia. 39

Tractatus eiusdem pars secunda Platonis sententiam con-
tinens. 56

Tractatus eiusdem pars tertia. 61

Epitome super sphaeram. 66

De numeris & proportionibus. 66

De principiis geometriæ, 67

De astrologia. 67

De motu cælorum, & eorum proprietatibus. 68

De cæli reuolutione. 69

De cæli rotunditate. 69

De rotunditate aquæ. 70

De immobilitate terræ. 70

De Magnitudine terræ. 71

De æquinoctiali. 72

De circulo Zodiaco. 72

De Ecliptica. 73

Signa quæ præcedunt Arietem. 73

Duodecim signa zodiaci. 73

De duobus coloris. 73

De Meridiano. 74

De quatuor circulis minoribus. 75

De Cosmographia. 76

De climatibus & diuersitatibus eorum. 76

De ortu & occasu signorum. 77

Quid sit occasus. 77

De diuersitate dierum & noctium quæ fit habitantibus in
diuersis locis terræ. 78

De Circulis & motibus planetarum, & de causis eclipsium
solis & lunæ. 79

De eclipsi lunæ. 79

De eclipsi Solis. 80



D. CRHYSOSTOMI IAVELLI, CANAPICII,

SVPER QVARTVM ARISTOTE- lis Metheororum Librum Quaestiones Subtilissimæ.

QVÆSTIO I.

*Si primæ qualitates, sunt causæ & ele-
mentorum.*

*Quoniam autem quatuor causæ determinatæ sunt
elementorum. Text. 1.*



Ircæ hanc q. Si teneres has qualitates, et se, formas substantiales elementorum, non esset difficultas, constat. n. quod essent causæ formales; Verum quia tenes, quod sunt vere accidentia, & proprietates elementorum, & comparantur ad formas elementorum sicut effectus ad causas, ideo difficile est saluare dictum philosophi.

Inuenio autem duas opiniones, quarum vtraque rationabilis est, prima est Gaetani super hunc text. ibi, (Intelligendum primo) illic dat duas exposi. quarum prima, non est apparens nam ex hoc quod aliquid consequitur ad alterum; non dicitur causa eius ad quod consequitur, sed potius effectus: se habent enim sicut prius, & posterius, posterius autem nunquam est causa prioris, cum de ratione causæ sit prioritas. Secunda autem est rationabilis, nam cum præparent materiam ad formas elementorum, vt dictum est in secundo de generatione, quod ignis inducens siccitatem in materia aeris, præparat eam ad formam ignis dicentur ergo causæ elementorum, quia disponunt materiam, ad formas elementorum, & introductas seruant.

Secunda opinio est Petri Aluer. super hunc text. qui sic distinguit: elementa considerantur dupliciter, primo vt substantiæ, & corpora sunt, sic istæ qualitates, non sunt causæ eorum, imo effectus, & accidentia consequentia. Secundo vt corpora tangibilia sunt, actiua & passiuæ adinuicem, sic dico quod istæ qualitates sunt causæ, constituuntur enim in esse tangibili per eas, & agunt & patiuntur per eas immediatè, sicut per instrumenta: Instrumentum autem potest dici esse causa principalis agentis, non quidem in esse, sed in operari. Et hæc expositio melior est, quoniam philosophus considerat in hoc quarto de elementis, vt per suas qualitates causant multas passiones in mixtis, sicut putrefactio digestio molificatio, &c. & aduerte quod hæc expositio, consonat magno Alberto in quarto libro capitulo primo super hunc text. (Quoniam igitur iam determinatum est, &c.)

QVÆSTIO II.

*Si calidum & frigidum sunt tantum actiua,
siccum autem & humidum tantum
passiua.*

*Quarum duæ quidem actiua, calidum &
frigidum. Textu 1.*

Ircæ hunc textum, præter ea quæ diximus in libro de generatione, tria declaranda sunt, primum est, quod si istæ quatuor qualitates considerentur, vt comparantur, ad suos consimiles effectus, Sic omnes sunt actiua,

nam sicut calor calefacit, sic humidum humefacit, &c. Et id ponit commentator in commento 1. huius quarti, secundum est quod vt istæ qualitates reperiuntur in mixto & coniunctim comparantur, puta caliditas & frigiditas ad humidum, & siccum. Duæ quidem sunt primo & per se actiua, vt caliditas, & frigiditas, eo quod agunt sine actione humidi, & siccum. Ad hoc enim, quod calidum calefaciat vel frigidum infrigidet non est necesse supponere actionem humidi & siccum, & tamen non sic est de humido, & siccum, quia humidum non fit siccum, &c. Et ideo dicitur, quod calidum, & frigidum sunt, actiua primo & per se, ex consequenti autem passiuæ siccum autem & humidum passiuæ primo & per se, secundario autem actiua & quia vnumquodque dicitur tale, ab eo, quod conuenit sibi primo, & per se, ideo philosophus dicit simpliciter calidum & frigidum, esse actiua, illa autem passiuæ, hæc declaratio ponitur formaliter à Petro Aluerna. super hunc text. quam traxit ab Alberto magno in hoc quarto libro capitulo secundo ibi (Actiua autem, sunt duæ, &c.) vsque ibi. (Inter actiua autem) Tertium est. Cum calidum, & frigidum, sine actiua, quare magis agit calidum, quam frigidum? Huius nouem causas adducit Albertus in hoc quarto libro capitulo secundo ibi. (Inter actiua autem) præcipue ex illis sunt tertia, septima, octaua, nona nec meliorem ipso Alberto inuenies in hoc.

QVÆSTIO III.

Si diffinitio generationis posita ab Aristotele, est bona.

*Est autem simplex, & naturalis generatio permutatio
ab his virtutibus. Text. 2.*

Ircæ hanc diffinitio. primo ponitur disti. de generatione: secundo declaratur, quomodo est bona: Quantum ad primum aduerte, quod generatio substantiæ, (De hac enim tantum loquimur) sumitur tripliciter, primo secundum, quod est acquisitio esse, cuiuscunque substantiæ simplicis, id est, elementi, quoniam secundum viam, & ordinem naturæ. Primo inuenitur in corporibus simplicibus, & sic considerauimus de ea in primo de generatione, vbi diximus, quod est transmutatio totius in totum, non manente aliquo sensibili vt subiecto. Secundo vt est acquisitio esse, per formam mixti, ex simplicibus componentibus. Tertio vt est acquisitio vel via ad esse viuum, quod est per animam, & sic de ipsa tractatur in libro de anima, & in libro de morte, & vita. Hic autem consideratur secundo modo tantum. Stante hac distinct. declaro quod diffinitio, Philosophi est bona. Primo dicitur generatio simplex, id est, substantiæ, ad differentiam generationis accidentis, quæ est secundum quid vel simplex, id est, absolute accepta, non contracta ad generationem plantæ aut lapidis, &c. Et sic exponit eam magnus Albertus in capitulo tertio, ibi. (Voco autem, &c.) Secundo dicitur naturalis, id est, non artificialis, secundum aliquos vel secundum Albertum in eodem capit. naturalis, id est, quæ est permutatio ad speciem & formam mixti, quæ est natura ipsius mixti.

Tertio dicitur permutatio ab his virtutibus id est, est permutatio facta à caliditate, & frigiditate, vt agunt in humidum, & sicum, vt in subiectam materiam, dicit quarto cum habeant rationem id est, cum habuerint proportionem maioris, inæqualitatis ad humidum & sicum, ita q̄ superent ea. dicit quinto ex subiecta materia vnicuique natura, i. hęc proportio, & obtinentia calidi & frigidi super humidum, & sicum, quæ sunt vt subiecta materia non fit vno modo: sed secundum, quod conuenit vnicuique naturæ, & hoc vide in Alberto in c. 3. ibi. (Istæ autem duæ virtutes generant, &c.) Et aduerte quod Albertus saxo. in quæstio. vltim. super hunc quartum, pertractat hanc definitionem, sed nil præclare dicit: Vide ad placitum.

QVÆSTIO IIII.

Quomodo calor, & frigus generant mixtum, præcipue cum frigidum sit corruptiuum & mortificatiuum.

Generant autem calidum, & frigidum obtinentiam materiam. Tex. 2.

Circa hunc textum queritur à quo generetur forma mixti vel ipsum mixtum substantialiter, & quia philosophus dicit, quod calidum, & frigidum generant. Ideo hinc oritur difficultas, quoniam cum calor, & frigus sint qualitates tantum habent alterare, & non generare substantialiter. Hanc quæstio. mouet Albertus magnus in c. 4. & reprobatis opinionibus, quarum vna dicit, quod forma mixti fluit à miscibilibus, alia dicit, quod fluit à formis substantialibus, miscibilem, alia dicit, quod dispositiue est ab his qualitatibus, formaliter autem & productiue est ab intelligentiis vel ydeis, vt Plato & Auic. Ipse determinat, quod calor generat substantialiter mixtum, non est calor vt calor, quoniam vt sic, tantum habet alterare & disponere. Sed est calor naturalis in quo est virtus cæli, & motorum cælestium, & virtus complexionalis, & vis formæ illius naturæ in quo est, vt producat sibi simile, &c. Vide id totum, in Alber. magn. c. 4. ibi (nos autem cum Peripateticis, &c.) Illic inuenies, quid facit calor vt calor, & calor vt naturalis, qui etiam dicitur calor complexionalis.

Sed hinc oritur duplex quæstio. nam secundum determinationem factam, videtur solus calor esse generatiuus. Et tamen dicit philosophus. Generant autem calidum & frigidum. Secundo videtur secundum determinationem factam ab Alberto, quod solum humidum sit illud in quod agit calor naturalis: inducendo formam, quod humidum frigidum adunat, ne fluat, & tamen humidum solum vt dicemus infra, non potest digeri nec terminari nisi adiuncto sicco.

Ad primam respondet solus Albertus magnus in c. 4. ibi. (Sed dubitatio magis) & responsio stat in hoc, calor vt calor, & frigiditas, vt frigiditas, generat dispositiue tam in simplicibus, quam in mixtis, formatiue autem solus calor naturalis generat vt diximus. nam frigidum naturale, non agens in humidum non producit formam, imo si vincit ipsum humidum ita quod non possit digeri à calido, impedit generationem mixti, & similiter corruptionem inducit, ideo dicitur à Philosophis qualitas mortificatiua, non quidem simpliciter: sed si vincit humidum, & impedit actionem calidi. Verum quia philosophus dicit, quod vtrunque generat, ideo dico quod frigidum naturale licet non promoueat ad formam, tamen operatur adunando humidum, vt seruet formam eductam à calido, & sic potest dici generans, non tamen ea ratione qua calor. Sed nec philosophus dicit, quod eodem modo generent.

Ad secundum dicit Albertus, c. 4. ibi, (potest etiam aliter) & responsio sua stat in hoc. Ideo humidum dicitur esse materia caloris in generatione mixti, quia licet concurrat siccum, & humidum, commixtum, tamen agit in humidum vt est sub actu humidum, & non sub actu siccum. Actus autem humidum est bene recipere & bene figurari. Actus autem siccum est oppositum. Et quia calor naturalis debet formare & figurare mixtum, ideo dicitur agere in humidum non quidem purum, sed consideratum vt bene figurabile, & terminabile, & hoc non habet, & est sub actu siccum vt patet. Tu tamen vide Albertum, nec quæras alium, quoniam de his nil dicunt, nisi sumant ab Alberto, vt Gaetanus.

QVÆSTIO V.

Si putrefactio est finis omnium naturalium, & artificialium.

Finis autem horum omnium putredo nisi aliquid violentia corrumpatur Tex. 3.

Circa hunc textum tria aduertenda sunt, primo quomodo sit verum, quod dicit philosophus, in textu, quod corruptio sit via ad putrefactionem, cum potius putrefactio sit via ad corruptionem, quæ enim putrefiunt tendunt in non esse. Ad hoc dicitur, quod philosophus non accipit corruptionem, pro mutatione ad non esse, sic enim sequitur putrefactionem, sed accipit pro deterioratione, quæ antecedit putrefactionem vt senectus in naturalibus, & vetustas in artificialibus. Iuxta hunc modum accipit philosophus, corruptionem in secundo de generatione cum dixit tempus generationis, esse æquale tempori corruptionis, & hanc exposi. vide in Gaetano, super hunc tex. ibi. (Intelligendum vltius, &c.) Secundo quomodo sit verum, quod dicit philosophus in eodem textu, quod si quid corrumpatur violenter illud non putrefit, cum videamus hominem occisum putrefieri. Ad hoc respondet Albert. mag. in c. 5. quod hoc solum intelligitur de combustio. Vide eum ibi, (horum autem omnium.) Illic inuenies, quare combustum non putrefit, & tamen tendit ad eundem finem, ad quem tendunt putrefacta, scilicet, ad ariditatem, & discontinuationem, quæ dicitur incineratio. Tertio ponenda est conclusio responsiua, putrefactio est finis omnium naturalium, & artificialium prout eorum materia est aliquod naturale. Hanc probat formaliter Albertus magnus in ca. 5. & ratione & signo. ibi. (Cum enim finis compositi mixti.

QVÆSTIO VI.

Si omnia elementa putrescunt præter ignem.

Propter quod & putrescunt omnia alia excepto igne. Tex. 5.

Circa hunc textum, ponitur hæc distinctio, elementa considerantur dupliciter, primo vt pura sunt. Secundo vt permixta vel admixta, sicut terra admixta aquosæ humiditati, & aqua admixta partibus terrestribus, &c. Ex hac pono tres conclusiones.

Prima conclusio, nullum elementum consistens in puritate sua, est putrescibile. De igne probatur dupliciter. Primo quia corruptio supponit humidum, vt dicemus infra, hoc autem non est in igne puro. Secundo corruptio fit à calore extrinseco superante calorem, intrinsecum & comaturalem rei putrescibilis, vt dicemus, sed cum ignis sit calidissimus, eius calor non potest vinci à maiori calore ergo. De aere autem dicit Albertus, quod in aere puro, sium humidum spirituale est inseparabile ab eo. De terra patet, quia vt pura non est humida ergo imputrescibilis. De aqua autem dicit Albertus, quod frigiditas sua essentialis, quæ est in summo, est sufficienter conseruatiua, & impedit ne putrefiat. Vnde concludit Albertus in c. 7. circa finem, quod omnia elementa pura possunt corrumpi, prout in inuicem transmutantur, non tamen putrescunt.

Secunda conclusio Aer aqua & terra, si sunt admixta, possunt putrescere, hanc declarat Albertus in ca. 7. ibi. (Sed ea quæ in parte mixta, &c.) Vtique ibi. (In solo igne.)

Tertia conclusio Ignis siue purus siue impurus, non potest putrescere, hanc ponit Albertus in c. 7. ibi. (Si autem mixtus sit ignis, &c.) Quare autem comburens non putrefiat, nec combustio sit putrefactio, rationem assignat Albertus in c. sexto in principio, vbi declarat, quomodo putrefactio est naturalis, & combustio est violenta.

QVÆSTIO VII.

De putrefactione.

Putrefactio autem est corruptio quadam in vnoquoque humido proprie secundum naturam caliditatis ab aliena caliditate. Tex. 6.

Circa hanc q. vt plene resoluatur, dicenda sunt quatuor, primo quæ sint causæ putrefactionis. Secundo quomodo causatur. Tertio quot mutationes concurrant, antequam sit completa. Quarto declarabitur, quomodo definitio philosophi est conueniens.

Circa 1. aduerte, quod causæ eius sunt duplices scilicet, remotæ & proximæ. Remotæ sunt quatuor qualitates, quarum duæ agunt, & duæ patiuntur, non quidem secundum se, sed vt omnes congregatæ sunt in mixto, propter quod sequitur quod simplex elementum non putrescit, nec cæsum putrescit. Et hoc vide in Alberto saxo. in 4. meteorum q. prima in art. ibi. (Quantum ergo ad primum præmitto.)

Circa 2. proximæ causæ sunt ipsæmet qualitates vt inproportionatæ, nam vt proportionem habet in mixto, sunt causa generationis, & conseruationis mixti, ergo vt inproportionatæ, sunt causa corruptionis, & putrefactionis, opponuntur autem vt diximus generatio, & putrefactio, vt ergo scias quomodo proportionatæ conseruant mixtum, Vide Albertum saxo. in 4. in q. 1. artic. 2. ibi. (Circa quod sciendum, quod doctores, (Quomodo autem in proportionatæ causant putrefactionem, vide ibidem, & infra ibi. (Sed vltimus oportet imaginari, &c.) Hoc tamen totum virtualiter extraxit ex Alberto mag. in 4. c. 7. ibi. (Vincit siquidē calor.)

Circa 3. aduerte quod cum putrefactio perfecta non sit, nisi per discontinuationem partium, quam vocat Albertus incinerationem. ante hanc præcedunt quatuor mutationes. Prima, Motus alterationis, quo calor exterior, & calor interior extraneatus, id est, factus inproportionatus à calore exteriori, agit & alterat suum proprium humidum, non vt existens naturalis, sed vt calor. Secunda est motus localis, quo mouetur hoc humidum tractum à calore ad superficiem exteriorem. Tertia est infrigidatio & exsiccatio, causa facta in interioribus rei putrefactibilis, à frigiditate inextrinseca naturali. Quia enim calor naturalis discedit, frigiditas naturalis occupat intrinseca, cuius proprium est infrigidare, & exsiccare. Sed aduerte, quod vt dicam infra, hoc non agit frigiditas vt naturalis, sed vt frigiditas. Quarta est exsiccatio in partibus exterioribus rei putrefactibilis, per consumptionem & exhalationem humiditatis, dispersi in superficie, quo exsiccatione facta consumpto omnino humido, res incineratur, nisi aliud obsistat sicut infra dicemus, cum agemus de inducentibus vel retardantibus putrefactionem.

Circa 4. quomodo definitio philosophi sit conueniens declarat Albertus magnus in c. 8. ibi. (& sic putrefactio congrue est definita, &c.) ibi assignat primum agens & proximum agens & proprium subiectum, primum agens, est calor continentis, proximum est calor naturalis extraneatus, subiectum est proprium humidum. Sed contra hanc definitionem plura occurrunt dubia. Primo. Quia vt dictum est, putrefactio non solum includit hanc mutationem, quæ est corruptio, sed & motum localem, & alterationem, & incinerationem, & generationem alterius mixti. ex hoc enim quod aliquid putrescit disponitur materia ad receptionem formæ alterius mixti.

Ad hoc conatur respondere Albertus saxo. in 4. in q. 1. in artic. 4. & quasi assentiens argumento, tenetur, quod non est dabilis vera definitio eius, eo quod omne definitum, est vnum, putrefactio autem non est quid vnum, cum sit plures mutationes, sicut augmentum.

Ego autem dicerem, quod licet putrefactio includat plures mutationes, vnam tamen tantum dicit formaliter, & est corruptio propriæ caliditatis, vt dicit philosophus, alias autem dicit aut antecedenter aut consequenter. Antecedenter quidem, alterationem humiditatis, & motum localem humiditatis, & infrigidationem in interioribus, consequenter autem exsiccationem per totum, & sic incinerationem.

Secundo videtur quod definitio non explicet totale agens, nam ad putrefactionem vt dictum est concurrunt infrigidatio quæ est à frigi. ergo debet apponi à caliditate aliena, & frigiditate.

Ad hoc dicitur secundum Albertum mag. in cap. 8. quod vtique est ab vtroque sed non eodem modo nam à calido est primo & per se, non enim frigidum infrigidat interiora nisi prius calidum moueat ad exteriora. In definitione autem sufficit explicare primum & per se agens quonia quasi correlative intelligitur secundarium agens. Item alio modo est putrefactio à calido & alio modo à frigido. nam est à calido alieno primo & per se non autem est à frigido alieno sed proprio quod dicitur frigidum naturale, quod quidem quamdiu est regulatum seruat mixtum, statim autem quod irregulatur sub tali vel tali inproportione expellit humidum attractum à calore. De hoc vide Albertum magnum in c. 8. ibi. (Caliditas autem aliena corrumpens.

Alia dubia si occurrent adducam.

Iauel. Tom. ii j.

Q V A E S T I O V I I I.

De impediētibz putrefactionum.

Et in frigidibus autem, minus putrescunt. Tex. 7.

Circa hanc q. aduerte quod alia adducuntur à philosopho impediētia, alia ab Alberto. Vt ergo habeas summam rei faciam quatuor, primo adducam ea quæ ponit Philosophus. Secundo ea quæ adducit Albertus magnus. Tertio declarabo quem ordinem habent inter se ea quæ adducuntur à philosopho. Quarto mouebo quædam dubia.

Circa 1. aduerte, quod philosophus adducit quatuor scilicet frigiditatem continentis & id rationabile est: nam cū caliditas continentis inducat putrefactionem, frigiditas ei opposita impedit putrefactionem, secundo est feruens calor: sicut in aqua buliente, & idem sentit Albertus mag. etiā de intenso calore virtuali, sicut est in pipere præcipue adiunctum sicco: vide ipsum in cap. 9. ibi. (Amplius si aliquid est feruens, &c.) Tertio est motus & fluxus, & per oppositum quies accelerat putrefactionem sicut patet in aquis non fluentibus. Quarto est magnitudo rei & continuitas, per oppositum paucitas vel diuisio partis à continuo est causa putrefactionis. Hæc impediētia adducit philosophus à tex. 7. vsque ad tex. 14. quæ singulatim vltra omnes declarat Albertus mag. in c. nono, nec quaras alium.

Secundo videndum est ea quæ adducit Albertus & aduerte quæ in c. 10. adducit balsamum mirram, aloë, sal, sol, sed hæc omnia ideo impediunt, quia ex intenso suo calore virtuali multum exsiccant humidum superfluum quod est materia putrefactionis & constringunt siccum ne permittat exhalare humidum continuans, quo remanente res non incineratur. Ideo caduera si his perfundantur seruantur multo tempore: vide eum, nam clarus est.

Tertio videndum est inter ea quæ adducuntur à philosopho quid magis impediāt & quo ordine. Vnde dico cum Alberto mag. in c. 10. ibi. (Numerus autem,) quod primum impediens & magis est frigiditas continentis, & frigiditas intrinseca vt in metallis per coagulationem, secundum est feruor, tertium est motus eo quod excitat calorem, quartum est magnitudo & continuitas quæ obtinet minimum gradum eo quod magnitudo non est actiua nec passiuā vt sic.

Sed contra impediētia adducta à philosopho sunt plura dubia, & primo quod frigiditas continentis non impediāt, imò, quod inducat similiter calor & motus, nam frigiditas intensa inducet congelationem, ad congelationem sequitur putrefactio vt patet quando sunt congelatæ partes animalium accedente calore putrescunt. si frigiditas calor intensus decoquens carnem animalis vt patet in cauterio post adustionem videmus carnem putrescere. Similiter motus vehemens in animali inducit ægritudinem quæ est via ad putrefactionem.

Deinde dubitatur quomodo magnitudo impediāt cum videamus cumulum frumenti citius putrescere quam pauca grana, similiter magnus cumulus paleæ aut feni citius putrescit vt patet.

Ad hæc respondet Albertus saxo. in 4. in q. 1. in responsione ad rationes in oppositum & incipit ibi. (Ad sextam si putrefactio est possibilis, &c.) vsque in finem quæstionis. Verum magis resolutas responsiones inuenies in Alberto magno in c. 9. & in c. 10. licet sparsim & responsiones stant in duobus punctis.

Primum est quod frigiditas continentis & calor & motus non absolute præseruant, sed in quantum moderata. Item magnitudo non absolute sed vt continua & homogenea habens æqualem virtutem in omnibus partibus vnitatis, sic enim mutuo se seruant. Tunc patet quod instantia de cumulo grani aut feni aut pomorum non valet: ergo Albertus Magnus & quiesce in eo.

Q V A E S T I O I X.

Quare ex putrefactis generantur animalia, nunquam autem lapides aut plantæ.

Et animalia fiunt in his quæ putrescunt propterea quod segregata caliditas naturalis existens constare facit segregata. Text. 13.

Circa hanc quæstionem faciam quatuor, primo declarandum est, quid est productiuum talium animalium & quid est in putrefacto, ex quo tanquam ex materia

proxima huiusmodi animalia producuntur: secundo declarandum est quomodo ratio philosophi quam adducit in textu 13. sufficienter explicat causam huius generationis. Tertio declarandum est, cum putrefactum sit vnum, quare non generatur vnum animal sed plura, & quare ita diuersificantur in quantitate & in colore, & quare non generatur planta ex putrefacto, cum ipsum aliquando sit planta, ex qua generantur talia animalia. Quarto mouenda sunt quædam dubia.

Circa primum aduerte, quod productiuum talium animalium est duplex, scilicet vniuersale, & primum & hoc est ceterum ex motu circuli obliqui, sed hoc solum non sufficit vt probat Albertus magnus in c. 11. ibi. (Sed si ex virtute stellarum, &c.) secundum autem & proximum est calor naturalis mixti putrefacti eductus à calore continentis ad extrinsecam mixti, & secum trahens humidum naturale, ita quod idem calor existens naturalis facit putrescere hoc mixtum & ex eo generat hæc animalia sed diuersa ratione vt docet Albertus in cap. 11. ibi. (Ad omnia autem ista satisfaciens &c.) Et resolutio stat in hoc, iste calor tripliciter consideratur, primo vt est proportionatus humido naturali huius mixti, & sic est causa generationis talis mixti, & tam diu conseruat naturam mixti, quamdiu remanet illa proportio quæ dicitur proportio determinatæ speciei prout respicit talem, vel talem speciem animalis generandi ex hac proportione. Alio modo proportionatur calidum naturale humido naturali in specie hominis & alio modo in specie leonis, &c. secundo consideratur vt ista proportio specifica destruitur, & fit impropportionatus, ex calore continentis, & sic est causa putrefactionis huius mixti, iam enim factus est innaturalis, naturæ determinatæ huius mixti. Tertio consideratur vt seruatur in eo proportio generica, cum humido naturali, quæ proportio respicit generationem animalis in genere, præcipue animalis imperfecti. Vnde aduerte, quod licet ille calor naturalis talis mixti, puta equi putrescentis, factus sit innaturalis ipsi equo; pro generatione ne equi tamen remanet naturalis, pro generatione alterius animalis distincti speciei ab equo, sicut est vermis. Vnde sicut quando erat proportionatus cum humido, pro speciei equi, fuit productiuum equi. Ita nunc existens proportionatus cum humido extracto ad superficiem putrescentis, pro generatione formicæ vel vermis, fit productiuum eorum. Ex his omnibus patet, quod idem calor effectus innaturalis vni speciei, fit naturalis alteri speciei, eo quod seruatur in eo proportio generica cum suo humido naturali, ad productionem alterius speciei animalis.

Sed dices, vnde habet iste calor innaturalis factus, quod fit productiuus formæ animalis imperfecti? Ad hoc respondet Albertus in c. 11. quod hoc habetur, quia ille calor naturalis admixtus humido subtili extracto ad superficiem putrescentis, est sicut semen animalis perfecti, quod existens calidum & humidum, habet virtutem formatiuam ex corporibus cælestibus, & ex animalibus à quo decisum est, & per hanc virtutem informatiuam, continet virtualiter formam animalis generandi. Sic per omnia imagina de hoc calore adiuncto humido putredinali, nisi quod corpus cæli, supplet vicem eius à quo deciditur semen.

Sed dices, quo ordine, calor iste, producit formam animalis imperfecti quæ est anima sensitiva? Ad hoc respondet Albertus magnus in cap. 11. ibi. (Ita vis animalis imperfecti &c.) Vsq; ibi (Dictum autem Auerrois) & patet per se vide eum, hæc de primo.

Circa 2. dico, quod philosophus sufficienter adducit causam, nam explicat agens proximum, & materiam ex qua, & modum productionis. Agens proximum explicat cum dicit, segregata caliditas, existens naturalis. Dicitur quidem caliditas segregata, quoniam in putrefactione, calor continentis trahit calorem naturalem à suo proprio subiecto, quod est humidum admixtum subtili sicco, & separat eum à sicco, imo calor naturalis separat humidum à sicco, trahens illud ad exteriora, & sic remanet ipse calor quasi dissipatus exera suam naturalem materiam. Dicitur autem caliditas naturalis existens, quod non intelligas respectu putrefacti, sic enim est factus innaturalis vt diximus: sed respectu animalis imperfecti generandi, cum retineat proportionem in genere, vt diximus. Materiam ex qua, explicat cum dicit, constare facit segregata, id est segregata intelliguntur humidum naturale tractum ad superficiem putrefacti, & subtile siccum, quod remansit in intrinseco, infrigida

tum, sic enim segregata sunt abinuicem. Modum autem productionis explicat cum dicit, constare facit, id est, propter hoc generantur hæc animalia, quoniam calor naturalis id est, seruans naturalitatem in genere, iterum congregat humidum cum sicco subtili, ex quibus coniunctis producit animal imperfectum, sicut ante quando habebat proportionem determinatæ speciei produxerat hoc animal perfectum, puta equum: patet igitur, quomodo philosophus breuibus comprehendit, rationem sufficientem productionis talium animalium.

Circa 3. vide Albertum in capite 11. ibi (sunt autem huiusmodi animalia) vsque in finem, & clarus est, nec Gaetan. sciuit aliud adducere.

Circa quartum aduerte quod tria dubia occurrunt, contra prædicta, primum est. Quomodo calor naturalis, effectus innaturalis respectu huius putrefacti, retinet naturalitatem respectu alterius animalis generandi.

Ad hoc iam patet per prædicta, licet enim soluatur proportio pro tali speciei animalis, non tamen pro genere. Vnde hæc consequentia non valet, hic calor est impropportionatus huic speciei animalis generandæ, ergo est impropportionatus cuilibet speciei.

Secundum est. Si hic calor retinet proportionem solum in genere, ergo non magis producit hanc speciem animalis imperfecti ex hoc putrefacto, quam illam, quod tamen est contra sensum. Sic enim generantur vermes ex hoc, quod non vesperæ, & ex hoc muscæ, quod non serpens. Ad hoc dicitur quod sicut semen determinatur ad talem speciem generandam à forma animalis à quo deciditur, & à materia in quam agit, ita hic calor putredinalis determinatur ad talem speciem à tali virtute vel tali corporis cælestis, & ab humido naturali, in quod agit, quod quidem aliud est in equo, & aliud in homine, &c. & ideo ex his diuersis humidis, diuersas imperfectorum species producit.

Tertium est, quia commentator in 12. Metaphys. commento. 18. ponens differentiam inter ea quæ generantur, ex semine, & quæ sine semine, dicit quod hæc generantur à calore solis & aliarum stellarum tantum: ergo non generantur à calore putredinali.

Ad hoc dicendum secundum Albertum, quod commentator in hoc non est acceptandus. Si tamen vis sustinere eum, dic quod intentio commentatoris fuit, non excludere agens particulare qui est calor putredinis, sed ponere differentiam, inter calorem feminalem, & calorem putredinalem, quæ est hæc, calor feminalis habet virtutem formatiuam, & à calore solis, & ab eo à quo deciditur semen, calor autem putredinalis habet virtutem tantum à calore solis & ab aliis stellis. Mens ergo commentatoris fuit, quod producantur à calore solis tantum, quia iste calor putredinalis habet virtutem productiuam non à se, nec à corpore putrefacto, nec ab alio agente particulari, sed à corpore cælesti tantum. Hæc pro nunc occurrunt.

Q V A E S T I O X.

De digestionem quid sit in genere, & à quibus causis fit, & quot modis in genere.

Digestio quidem igitur est perfectio à naturali & proprio calido ex oppositis passiuis. Tex. 14.

Circa hanc q. vt resolutio habeatur, faciam quinque: primo pono aliquas distinctioes. secundo ponam quatuor distinctioes de digestionem, tertio declarabo, quomodo distinctio philosophi est conueniens, quarto inuestigabo causas & concausas eius, quinto diuersos modos quibus fit. Sexto soluam aliqua dubia.

Circa 1. pono duas distinctioes, prima est. Digestio sumitur dupliciter primo pro bona dispositione & perfectione rei, qua potest in suam propriam operationem, vel in finem sibi proprium simpliciter vel pro tali vel tali tempore, secundo sumitur pro motu quo res tendit in talem perfectionem acquirendam: hanc distinctioem ponit Albertus saxo in 4. in q. 2. in principio ibi, (Vltimus notandum) vsque ibi (si capiatur pro tali.)

Secunda distinctio est hæc: Digestio sumpta pro mutatione ad talem perfectionem acquirendam consideratur dupliciter: primo vt digestio est in sua latitudine, vel indefinite, secundo vt digestio vltimata & omnino perfecta, sicut etiam diximus supra de putrefactione.

Circa secundum aduerte, quod si sumatur pro perfectione rei quæ dicitur completio vel maturatio, sic diffinitio potest Digestio est bonâ dispositio qualitatiua &c. vide eam in Alb. saxo, in q. 2. ibi (Si capiatur pro &c.) Si autem sumatur pro mutatione potest sic describi. Digestio est transmutatio rei digestibilis, ad perfectionem suam propriam acquirendam. Sed aduerte quod ly transmutatio stat indefinitè pro transmutatione accidentali vel substantiali, quia vt dicam, per digestionem acquiritur aliquando sola perfectio accidentalis, aliquando forma substantialis, & ideo digestio abstrahit ab alteratione & à generatione. Item aduerte quod ly transmutatio, non stat pro vna transmutatione tantum, sed pro multis aggregate, nam vt dicemus, digestio non fit per solam exsiccationem, nec calefactionem, sed multæ concurrunt. Si sumatur Digestio vt est transmutatio, ad perfectionem accidentalem puta ad conuenientem saporem, vel odoré, vt videmus in fructu quando maturat sic formaliter est alteratio, cuius finis proximus est talis qualitas secunda conueniens tali mixto, & perficiens ipsum. Si autem sumatur pro transmutatione ad formam substantialem tunc formaliter est generatio. Sed hæc dicitur digestio vltimata, sicut quando cibus est conuersus in substantiam nutriti, & materia cibi informatur forma nutriti.

Circa tertium videndum est quomodo diffinitio philosophi est sufficiens, & aduerte quod Albertus mag. in ca. 14. sic format eam. (Digestio est completio à naturali &c.) & declarat singulas partes, & clarus est nisi in illa particula: (facta ex passionibus &c.) Constat enim quod humidum & siccum, quæ sunt materia caloris digerentis, & non contrariantur calori, tantum enim frigiditas contrariatur. Ideo aduerte quod calor digerens est calor, & est naturalis, item humidum & siccum dupliciter comparantur, primo ad calorem, secundo ad mixtum vt in ipsis est recipienda talis perfectio & forma mixti accidentalis vel substantialis. Dico igitur quod inter calorem naturalem vt calor est, & inter humidum ac siccum vt sic, nulla est contrarietas sed inter calorem vt naturalis est, & inter humidum ac siccum vt in ipsis receptibilis est perfectio vel forma mixti, est contrarietas, eo quod humidum & siccum ante actionem caloris, non sunt bene contemperata, nec decocta sufficienter condensata vel ingrossata, prout varia mixtorum complexio requirit, & hoc vult dicere Albertus cum dicit licet humidum non sit contrarium calori in quantum humidum tamen in quantum est in qualitate dissimilitudinis habet oppositionem, si autem quæras vtrum diffinitio philosophi verificetur de digestionem indefinitè an de digestionem vltimata, dicam in solutione dubiorum.

Circa quartum De causis tam actiuis quàm passiuis, & de concausis & de impediens & diuersimode in viuens & non viuens sufficienter pertractat Albertus saxo in q. 2. per octo conclusiones, & incipit ibi: (Istis præmissis.)

Circa quintum aduerte quod in digestionem quocumque modo accepta est vnum commune sine quo nulla fit digestio. Deinde sunt diuersi modi agendi quibus diuersificatur digestio. Illud commune appellatur victoria caloris super humidum: nisi enim humidum vincatur à colore nec in naturalibus nec in artificialibus fit aliqua digestio, & hoc ponit philosophus in tex. 17. ibi. (Accidit autem hoc pati &c.) cuius dictum declarat Albertus mag. in c. 15. ibi (Cunctis autem in communi euenit &c.) Vsq; in finem capituli. Diuersi autem modi quibus diuersificatur digestio sumuntur à diuerso fine, quem intendit natura in digestionem. Sunt autem tres in genere, nam cum digestio fiat à calore agente in humidum potest agere in humidum triplici de causa, primo vt separet humidum & depuret à fetulento terrestri, & sic fit digestio in liquidis à quibus feces sequestrantur, proportionaliter sic fit in nutritionem in qua calor separat purum ab impuro secundo vt contemperet humidum cum sicco ad producendam aliquam perfectionem in mixto vel formam substantialem si est vltimata digestio, & hoc modo maturantur fructus & maturatur foetus in matrice & maturatur animal natum ex ouo. Vnde dicemus quod hæc digestio vocatur pepsans. i. maturatio; tertio, vt educat humidum eo quod si retineatur corrumpit mixtum sed non potest educi nisi decoquatur, & hæc digestio fit in apostematibus, & in agritudinibus. Vnde eadem sunt signa huius digestionis, & sanctatis, & hoc tangit philosophus in text. 17.

Ianuel. Tom. iij.

ibi. (His autem in substantiam quandam formam &c.) Sed Albertus mag. declarat diffuse per totum ca. 15. Vbi agit de varia virtute musti & vini.

Vltimo aduerte quod plura dubia circa prædicta sunt, & primo quia dictum est, quod potest esse digestio cuius finis non erit forma substantialis rei digestæ sicut est maturatio fructuum, hoc videtur esse contra philosophum in tex. 16. sic ait (finis autem his quidem natura est, natura autem quam dicimus speciem & substantiam.)

Ad hoc respondet Albertus saxo in q. 2. ibi (potest ergo dici quod digestio &c.) Vsq; ibi (ex prædictis etiam &c.)

Secundo Albertus saxo in eadem q. in rationibus quibus argumentatur in principio q. probat, quod digestio non semper fit à calore proprio naturali imo aliquando à calore extrinsecò vt in elixatione, & à calore extrinsecò, tamen naturali, vt in nutritionem quæ fit à calore naturali non quidem ipsius nutrimenti sed ipsius nutriti. & à calore innaturali: qualis est febrilis: ergo diffinitio mala.

Ad hæc omnia responde sicut ipse, & aduerte quod omnia concludunt de concausa, non autem de causa principali, nunquam enim calor ignis digereret carnem elixatam vel assam, nisi excitaret calorem intrinsecum & naturalem carnis. Idem intellige in nutritionem.

Reliqua autem signa quibus probat digesta non esse calidiora post digestionem quàm ante. Vide ad placitum & incipit, ibi. (Quinto si sic &c.)

Q V A E S T I O X I

Si tantum tres sunt species digestionis, & tres indigestionis.

Est itaque calidi digestio, digestionis autem pepsans adhuc optes. Text. 14.

Circa hanc q. aduerte quod nolo pertractare, de omnibus speciebus digestionis in particulari, quoniam id faciam in q. sequentibus, sed tantum volo inuestigare vnde sumitur distinctio & sufficientia eorum, nam si attendamus efficiens, & materiam digestionis, & indigestionis, & non aliud, constat quod tantum vna erit digestio, & vna indigestio. In omni digestionem, agens est calor, vt patet in q. præcedenti, & materia est humidum: ergo ex calore & ex humido nõ diuersificatur digestio. Similiter omnis indigestio est ex frigido vt patet in tex. 18. & ex humido, quod nõ decoquitur à calido: ergo nec ex parte eorum diuersificatur indigestio. Circa igitur hanc quæstionem tantum tria faciam. primo vnde sumitur hæc distinctio & sufficientia digestionum. Secundo idem inquiram de speciebus indigestionis, tertio declarabo quomodo se habet digestio communiter dicta ad suas species, an vniuocè, an non.

Circa primum aduerte quod Albertus saxo in q. 3. adducit multas opiniones, quæ diuersimode hanc distinctionem & sufficientiam conantur inuestigari: quas vide ad placitum. Sed non conteras tempus in eis & resolue te in assignationem Alberti magni in c. 13. ibi (Ad sciendum autem quare tres. &c.) & intendit quod ista distinctio est sumenda ex diuerso modo agendi, quo agit calor in humido, & ex diuersitate humidi, ita quod hæc diuersitas sumitur, ex parte agentis alio, & alio modo operantis, & ex diuersitate materie. Humidum autem est duplex scilicet seminale, & nutritionale. Si calor per seipsum tantum, agit in humido seminali per virtutem informatiuam facit pepsans. Si calor adiunctus humido seminali vel radicali, agit in humidum nutritionale, facit exsim, est enim sicut calor ignis adiunctus humido aque, agens in carnem elixandam. Si autem calor adiunctus sicco, agit in humidum nutritionale facit optesim, est enim sicut calor ignis existentis in ligno agens in carnem assandam. hæc omnia diffuse inuenies in Alberto vbi supra, vbi etiam declarat, quomodo est æqualis calor in puero, & in adulto, & quomodo non.

Circa secundum de speciebus indigestionis, aduerte quod frigidum tripliciter potest comparari ad humidum, vno quidem modo ad humidum radicale, duobus autem modis ad humidum nutritionale, nã comparatum ad humidum radicale facit effectum oppositum calori, sicut n. calor agens in eo; inducit formam & generat, sic frigiditas remouet illud à forma, & corrumpit, ideo dicitur qualitas mortificatiua, & vt sic causat omotem in vltimo senio, quando penè extincto calore, & conualescente frigore, nutrimentum non amplius maturatur nec decoquitur. Quo autem per ipsum frigidum causatur alia duæ species, scilicet stasis id est, inassatio, & molinifis, id est, in elixatio breuibus complectitur Albertus magnus.

ibi (post ficcum autem paulatim.) Sed id diffusius inuenies in Alberto saxo in q. 3. ibi (& hæc tertia digestio vocatur optefis, &c.) Vsq̄ ibi (Sed in speciali, &c.)

Circa tertium dico cum Alberto magno in ca. 13. ibi (nos autem sine præiudicio) quod digestio est quid analogum ad has tres species, & dicitur primo de pepanfi, quæ est digestio ad formam. Secundo de exesi, quæ est digestio ad totum vt dicam infra. Tertio de optefi, quæ est digestio non vniformis. Sed hæc declarabo cum de eis in particulari per tractabo, & quoniam non est, quid vniuocum ideo Aristoteles sapienter prius diuisit eam in species suas, quam diffinierit. Iuxta regulam, quoniam omne multiplex prius est distinguendum, quam diffiniendum.

Q V A E S T I O X I I.

De pepanfi, quid sit, & quotuplex, & quas proprietates habet.

Quoniam autem digestio perfectio, tunc autem pepanfi perfecta, quando semina, quæ in pericarpio, possunt efficere tale alterum, quale ipsum est. Tex. 19.

Circa hanc q. faciam duo, primo pono duas dist. ex quibus formabo aliquas diffinitiones, secundo declarabo quot modis fiat.

Tertio quæ sint proprietates pepanfi in communi.

Circa primum aduerte, quod sicut digestio communis, est analogæ, & non vniuocæ ad pepanfim & exesim & optefim, ita pepanfi est quoddam analogum ad pepanfim animatorum, & ad pepanfim inanimatorum, & ad pepanfim nascentiarum vt sunt apostemata. Dico ergo quod pepanfi dupliciter consideratur, primo quantum ad id à quo nomen imponitur. Secundo quantum ad id cui nomen impositum est: secunda dist. Si quantum ad id cui nomen impositum est, aduerte dupliciter quia vel proprie vel Metaphorice. Ex his formo tres diffinitiones, nam pepanfi considerata quantum ad id à quo nomen imponitur, manifestius inuenta est in plantis fructiferis, & prius quo ad sensum. Vnde de illis proprie verificatur maturatio, quam sonat pepanfi, & philosophus qui procedebat à magis notis contentus fuit considerare pepanfim, vt inuenitur in fructiferis quam nec formaliter definiuit, potes autem tu sic formare diffinitionem, non recedendo à sensu philosophi, pepanfi quo ad id à quo nomen imponitur, est digestio alimentivel humidi seminalis in pericarpio, id est, fructiferis à calore naturali ipsius plantæ quam digestionem completam dicimus, cum planta vel semen plantæ potest producere tale quale ipsum est. Huius declarationem vide in Alberto magno. in c. 17. in prin. Vsq̄ ibi (Dicuntur autem multa.)

Si autem consideretur, quantum ad id cui nomen imponitur, & accipiatur proprie scias, quod verificatur tam de animatis siue animalibus, dicimus enim foetum maturum in matrice & pepanum, quando factum est actu simile generanti, & dicimus, sperma maturum, quando potest producere simile ei à quo decisum est, siue in plantis, vt patet ex diffinitione præceden. Siue in inanimatis, dicimus enim aurum, & argentum maturum, quando calor naturalis adiunctus calori cælesti, tantum egit in materia auri; quod induxit formam auri, & qualitates perficientes ipsum, vt ergo habeas diffinitionem vniuersalem quantum ad id cui nomen imponitur. vide Albertum mag. in capit. 17. ibi. (Pepanfi autem ad genus,) & elicies hanc diffinitionem. pepanfi est maturatio vniuscuiusque humidi naturalis secundum quod ex eo aliquod mixtum produci potest per virtutem formatiuam quæ operatur per calorem naturalem non in quantum est coniunctus humido nec in quantum coniunctus sicco sed per seipsum operatur. Hanc diffinitionem videbis in Alberto mag. Et aduerte quod per virtutem formatiuam non solum intelligo eam quæ ponitur in animatis quæ existit in semine, vel in aliquo loco feminis vt in generatis ex putrefactione, sed intelligo omnem virtutem existentem in calore naturali quam fortitur à cælo ad producendum aliquod mixtum, sic in calore naturali ipsius auri est virtus formatiua auri, idem intelligit in omni minerali. Item aduerte quod per ly (non in quantum coniunctus) distinguitur pepanfi ab aliis speciebus digestionis in quibus calor operatur coniunctus humido aut sicco.

Si autem consideratur quantum ad id cui nomen imponitur secundum quandam similitudinem, & improprie sic verificatur in digestionibus & in apostematibus & aduerte quod ideo dicitur impropria, quia & si sit vera digestio, ex par-

te agentis, digerens enim est calor naturalis tamen ex parte materiæ non est vera digestio. Materia enim vera digestionis est humidum naturale, in quod agit calor vt recipiat formam mixti vel transeat in substantiam eius, sed materia huius metaphoricæ digestionis non est humidum naturale imo humidum superfluum & corruptiuum mixti in quod agit calor & decoquit vt possit educi, vt patet quando apostema maturatur & sanguis apostematicus ex calore vertitur ad saniam albam. Igitur pepanfi improprie dicta sic potest describi, quod est digestio humidi superflui à calore naturali, vt educatur ex mixto propter conseruationem mixti. Hac digestionem decoquantur feces in intestinis, & vrina in renibus, & lacrima in lippitudine, & sanguis venenosus in apostematibus: ex his patet quomodo multipliciter potest diffiniri pepanfi.

Circa secundum. quot modis fiat pepanfi tam proprie quam improprie, aduerte, quod philosophus in text. 19. ibi. (Dicuntur autem pepana, &c.) tangit in confuso & transit. Tu vero si vis scire distincte hos multiplices modos, vide Albertum saxo. in q. 3. ibi, (Sed in speciali dicendum de prima specie, &c.) Vsq̄ ibi (nunc ergo dicendum) Illic ponnes omnes modos tam proprios quam improprios, qui an sint veri & insufficientes relinquo medicis.

Circa tertium, quæ sint proprietates pepanfi aduerte, quod philosophus in text. 19. ibi (ex spumosis quidem) tangit breuiter tria, primo quod ea quæ digeruntur pepanfi, in principio ex spumosis fiunt aquea. i. eorum humidum aereum inspissatur in aqueum, secundo eorum humidum aqueum inspissatur permixtum sicco terrestri & tunc induratur res digesta tertio ex subtilibus fiunt grossiora, & crassiora, & hos tres ordines potes speculari in generatione nucum in quibus in principio est velut lacrima, Deinde condensatur illud humidum & fit quasi viscosum, tertio induratur, & tunc perfecta ac completa est pepanfi nucis, sed aduerte quod istæ proprietates non conueniunt nisi pepanfi proprie dictæ nõ autem improprie. vt patet in nascentiis: illi enim ordines non seruantur quoniam calor non agit in humidum vt induratur & retineatur à mixto, imo subtiliat & mollificat vt educatur.

Aliqui arguunt quod non est verum semper digesta fieri grossiora, nam cibus dum decoquitur in stomacho non ingrossatur imo subtiliatur & fit rarior.

Sed dicimus eis quod cibus non digeritur in stomacho pepanfi sed exesi vel optefi, ideo nihil concludunt. De hoc autem loquimur infra.

Q V A E S T I O X I I I.

Si maturatio apostematis fit à calore naturali vel innaturali.

Est autem quæ nascentiarum & sanguinis & flegmatis. Text. 19.

Circa hunc textum aduerte quod dubium stat in hoc. Dicitur est in diffinitione pepanfi: quod est digestio ad formam & perfectionem rei: & propterea est à calore naturali agente in humido naturali, vt mixtum perficiatur, sed id non seruat in maturatione apostematis, non enim calor agit in sanguine vel in flegmate causante apostema, vt generetur sanguis vel flegma, imo vt corrumpatur & educatur à corpore mixti ergo potius hæc maturatio dicitur corruptio quam pepanfi, & cum corruptio non sit à calore naturali vt naturalis est, imo vt factus est innaturalis & improporionatus, sic maturatio fiet à calore innaturali, quod confirmatur signo cum apostema maturatur sentimus in membro apostemato calorem acutum & punctiuum qui non esset nisi quasi febrilis & tractus extra suam naturalitatem.

Ad solutionem huius dubij aduerte quod soluitur sicut questio de animalibus productis ex putrefacto. Diximus enim quod calor naturalis rei putrefactæ ad duo comparatur primo ad putrefactum, & sic factus erat innaturalis, secundo ad animal generandum ex humido putrescente, & sic erat naturalis ac velut semè cui virtus formatiua erat à cælo. Sic in proposito, sic calor naturalis cõparet ad sanguinem vel flegma in quo agit corrupedo sic est factus innaturalis & improporionatus illi membro à quo educit talem sanguinem, ideo est ebulliens & acutus. Si autem comparatur ad saniam quam generat ex tali sanguine, sic est naturalis, proportionatur enim generationi illius sicut proportionatur calor putredinalis generationi vermium: vnde videmus ex vlcere sanioso produci vermes. Hanc decisionem inuenies

in Alberto saxo. in quaestione quarta per totum.

Q V A E S T I O. X I I I I.

De homothē quæ opponitur pepansī.

Homothēs autem est contrarium Contrarium autem pepansī. indigestio alimenti in pericarpio. Tex. 20

Circa hunc tex. philosophus agit de omothē. i. cruditate, quæ opponitur contrarie, vel priuatiue ipsi pepansī, & quoniam priuatio optime cognoscitur per negationem habitus, ideo perfecte cognosces eam si attenderis ordinem quem posuimus in pepansī, & distinguens & diffiniens sicut pepansī, s. per negationem, genus enim pepansī est digestio vel completio vel perfectio. Genus autem omothis erit indigestio incompletio & imperfectio. Aduerte igitur quod philosophus de ea quatuor tangit, primo quid sit, secundo quæ sunt causæ eius, tertio quorum sit proprie quarto quorum sit metaphorice. Ego autem in fine solum dubium vnum.

Circa primum aduerte quod philosophus diffinit eam solum quantum ad id à quo nomen imponitur quod præcipue reperitur in vegetabilibus ante maturitatem, & dicit Omothēs est indigestio alimenti in pericarpio. Hanc diffinitionem resolute declarat Albertus mag. in ca. 18. in princ. nec alium quæras, si autem vis diffinire eam quantum ad id cui nomen imponitur & proprie & metaphorice, recurre ad ea quæ diximus de pepansī, & assignabis ei omnes conditiones oppositas pepansī cum sit contraria ei.

Circa 2. quæ sint causæ eius aduerte quod philosophus assignat duas, quæ tamen duæ supponunt vnā communem in omni indigestione, & dicitur non victoria vel non obtinencia calidi super humidum, sicut enim sit omnis digestio, quia calidum obtinet super humidum subtiliando vel resoluendo, vel permiscendo aut incorporando ipsum cum sicco, prout rei mixtæ complexio exquirat, sic omnis indigestio sit oppositis modis quæ autem in homothē calidum non obtineat super humidum philosophus in tex. 20. ibi. (sit autem imperfectio) assignat indigentiam caloris, & improprietatem ad humidum. Quod autem improprietetur humidum ad Albertus mag. in ca. 18. ibi. (incommensuratio autem,) assignat quatuor causas, ex quibus duæ tantum sunt aptæ causare hanc non obtinentiam, duæ autem aliæ causarent exsiccationem, & non cruditatem, quæ dicitur omothēs.

Circa 3. quorum proprie sit. Aduerte quod philosophus in tex. 21. dicit, quod nullum simplex humidum vt aqua pura potest pati omothem, quia non est aptum pati pepansī, ergo nec omothem. Contraria enim habent fieri circa idem. Ratio autem quare non patitur pepansī, est, quia digestio in communi est à proprio calido in oppositis passiuis quæ sunt humidum & siccum: nullum ergo purum humidum est patiens pepansī nec omothem, ex hoc correlative elicitur quod omothēs sicut & pepansī potest esse in omni mixto, vbi est calor, & humidum & siccum, non quidē absolute sed vbi humidum est incorporabile cum sicco ad rei formam & perfectionem & hoc dico ad differentiam omothēs metaphorice, de quo statim dicam.

Circa 4. quorum sit metaphorice aduerte quod potest verificari in naturalibus & in artificialibus. In naturalibus quidem ea dicuntur improprie oma. i. cruda in quibus calor non vincit humidum, & non decoquit sicut dicuntur pepana per oppositum, & hoc modo dicitur vrina & apostema, & secessio oma. In artificialibus autem ea dicuntur oma, in quibus calor extrinsecus non separauit humidum à partibus siccis, sic dicimus laterem omum, sic lac omum, antequam per actionem ignis sit separata aqua lactis à partibus siccis & pinguibus, ex quibus constat caseus, & hoc totum sufficienter declarat Albertus magnus ca. 18. ibi. (Dicitur autem omothēs.)

Sed contra prædicta sunt duo dubia, primum est, quia non videtur later posse pati pepansī nec omothem improprie sed potius optesim vel stathesim, i. assationem vel inassationem. Optesim enim sit vt dicemus infra ab igneo calido adiuncto sicco puta vt est in lignis ignitis, & hoc modo decoquitur later in fornace: ergo magis patitur stathesim quam omothem.

Ad hoc respondet Albertus in capitulo decimo octauo ibi. (Est autem alicui,) & tu te resoluere in hoc quod licet omothēs proprie dicta non coincidat cum stathesi proprie dicta, tamen non inconuenit omothem improprie dictam

coincidere cum ea.

Si tamen recte considerabis quæ dicuntur de optesi & stathesi, inuenies quod etiam distinguitur omothēs improprie dicta, & illa: nam in optesi semper seruatur & restringitur humidum in centro non autem in pepansī nec in omothē improprie dicta, sed p nūc sustine donec loquamur de eis.

Dubium secundum est contra diffinitionem omothēs, dictum est etiam quod est indigestio alimenti in pericarpio sed hoc non videtur verum nam cum opponatur pepansī, & pepansī sit digestio humidi seminalis vel naturalis vt recipiat formam mixti sicut diximus supra: cum distinximus pepansī contra alias species, ergo omothēs erit indigestio humidi seminalis: neque recipiatur forma mixti in tali humido indigesto constat autem quod alimentum & humidum seminale non sunt idem, ergo diffinitio omothēs non fuit bona.

Ad hoc non occurrit responsio, sed quære.

Ad hoc tamen possumus respondere quod cum Aristoteles in tex. 19. diffiniens Pepansī dixit (Pepansī est digestio alimenti in pericarpio & similiter in text. 20. dicens) Omothēs autem est contrarium, contrarium autem pepansī indigestio alimenti in pericarpio, per ly, alimenti intellexit humidum seminale, quod est subiectum Pepansī, & omothēs. Quod autem hoc sit verum patet per verba sua: postquam enim diffiniuit omothem subiungit (hoc autem est interminata humiditas, propter quod aut spumosa, aut aquosa, aut eorum quæ ex ambobus omothēs) propter quæ verba vt ibi dicit Gaeta & Alb. mag. in ca. 18. voluit intelligere philosophus quod tale alimentum positum in diffinitione omothēs est humiditas interminata, non superata & regulata à calore naturali, quæ quidem humiditas est spumosa, i. aerea à prædominio vt oleum aut aquosa vt vinum aut composita ex his vt lapis, constat autem quod talis humiditas aerea aut aquosa &c. venit in compositionem humidi naturalis & seminalis rei mixtæ secundum quam à prædominio tale humidum dicitur aereum vel aqueum, & per consequens talis res mixta, habens tale humidum. Quare autem Aristoteles tale humidum seminale vocauerit alimentum credo quod nulla sit sufficiens causa nisi, quia ei sic placuit, & sic patet quod argumentum nihil concludit.

Q V A E S T I O X V.

De epsefi quid sit, & quotuplex, & quæ sint proprietates eius.

Epsefis autem est secundum totum quidem digestio à caliditate humida inexistentis interminati in humido Tex. 22.

Circa hanc q. tria faciam, primo declarabo diffinitionem secundum omnes partes, secundo ostendam quæ sint proprietates rei elixatæ, tertio quotupliciter dicitur epsefis. Circa diffinitionem philosophi. Aduerte quod continet quatuor partes, primo ly secundum totum, secundo ly caliditate humida, tertio ly inexistentis interminati, quarto ly in humido.

Quantum ad ly totum diuersimode exponitur. Nam Alexander exponit ly secundum totum. i. vniuersaliter vel absolute, ac si dicat philosophus, epsefis vniuersaliter & absolute accepta in quocunque inueniatur est digestio, &c. Albertus mag. autem in ca. 19. ibi. (Dicitur autem epsefis ad totum, &c.) Sed tu accipe vltimam, quæ verior est, nam omnes partes rei elixatæ & intrinsecæ & superficiales decoquantur à calore agente cum humido aqueo, non autem omnes partes rei assandæ decoquantur à calore agente cum sicco terrestri, sed tantum extrinsecæ, & id declarabitur cum agemus de optesi.

Quantum ad ly caliditate humida aduerte, quod tangit causam efficientem, nam cum omnis digestio sit à calido, vt dictum est supra epsefis est à calido. Dicit autem caliditate humida, quoniam calor per seipsum non facit epsefim sed pepansī, necesse est ergo vt hic calor recipiatur in alio puca in humido, & introductus in humido elyxet, sed aduerte quod si reperitur in humido aereo vt est humidum olei & pinguedinis: non elyxat, sed frigit vt dicemus infra. Si autem recipiatur in humido aqueo vt est aqua aut vinum elyxat. Vnde in diffinitione philosophi intelligendum est de caliditate humida aquea, sed dices. lyxalibitas itat pro caliditate naturali an extrinseca? Respondeo, si epsefis sit naturalis vt est in nutritione cuiuslibet animati quando alimentum decoquitur conuertendum in substantiam anima-

vi, dico quod est à calore naturali rei animatae ut receptus in humido radicali concurrente tamen & coadiuuante calore naturali & intrinseco rei digestibilis. Vnde cibus virtualiter calidus citius decoquitur in stomacho nisi alia impediunt. Si autem est epsefis artificialis fit à calore extrinseco puta recepto in aqua, ut cum elixantur carnes coadiuuante tamen calore naturali rei elixabilis, sed contra hoc videtur repugnare diffinitioni quae supra data est de digestionem in communi, quae est completio à propria caliditate ergo cum epsefis sit digestio debet esse à propria caliditate, rei epseticae.

Ad hoc dicitur, quod diffinitio digestionis principaliter verificatur de pepani tanquam de primo analogato, de epsefi si autem & optesi verificatur secundario, pro quanto calor naturalis rei elixabilis concurrat & coadiuuat, licet principaliter sit à calore extrinseco siue naturali siue elementari.

Quantum ad ly inexistentis interminati aduerte, quod interminatum siue infinitum sumitur hic pro non completo nec deducto ad tales qualitates quibus sit utile & conueniens nutritioni aut augmentationi rei animatae. Vnde nutrimentum ante decoctionem dicitur interminatum, quia est dissimile in qualitatibus & forma ipsi animato nutriendo, cum autem decoctum fuerit dicitur terminatum vel finitum quasi deductum ad finem intentum à natura, sic ergo exponas, interminati, i. rei digestibilis non deductae ad terminum intentum à natura, qui est ut sit similis animato nutribili. Haec enim diffinitio primo & proprie intelligitur de epsefi naturali, quae est in nutritione rei animatae.

Quantum ad ly inexistentis aduerte, quod debet coniungi cum ly in humido & dicatur sic, epsefis est digestio facta à caliditate humida aquea interminati inexistentis in humido, quasi dicat, hoc interminatum non debet esse in actu sicco, sed in actu adiunctum humido pura enim sicca non sunt elixabilia ut lapides, ideo purum sicco non nutrit, sed aduerte quod ly in humido non stat solum pro humido continuante partes mixti, sic enim lapis esset elixabilis, sed stat pro humido nutrimentali vel quouis alio humido ex quo aptum est animatum nutriri augmentari, & conservari ex praedictis ergo sic potest formare diffinitionem. Epsefis est digestio secundum totum, i. secundum omnes partes rei digestibilis facta à caliditate humida aquea siue naturali siue elementari circa rem digestibilem interminatam, i. dissimilem ipsi digerenti inexistentem in humido, non solum continuatio partium, sed in humido nutrimentali quoniam sicca secundum actum non elixantur, nisi fiant humectata.

Circa secundum, scilicet quae sint proprietates rei elixatae. Aduerte quod ex Alberto & philosopho eliciuntur quinque proprietates, quatuor quidem ex Alberto magno in ca. 13. & 5. ex philosopho. Illae autem proprietates proueniunt ex calore operante cum humido aqueo, & opponuntur quinque proprietatibus prouenientibus ex calore operante cum sicco terrestri.

Prima est, quod res elixanda paulatim, & longa mora decoquitur à calore humido aqueo, quia humidum aquosum hebetat calorem, oppositae autem res affanda velociter decoquitur, quia siccitas cui vnitur calor acuit calorem, & ideo si caro proicitur super carbones ignitos velociter decoquitur & aduritur.

Secunda est quod rei elixandae aperiuntur pori, & libere ingreditur calidum delatum ab humido aqueo usque ad centrum rei, quia calidum adiunctum humido dissoluit & rare facit paulatim partes rei elixabilis nec aduritur, ex qua dissolutione partium aperiuntur pori, ex opposito autem rei affandae clauduntur pori, quia calidum cum sicco est adustum & constringit superficiem rei & repercutit humidum ad centrum.

Tertia est quod in re elixanda calidum adiunctum cum humido aqueo miscet humidum naturale: quod est in re elixanda cum humido aqueo, extrahit enim ab omnibus partibus humidum pinguedinis, & immiscetur humido aqueo, ut patet in brodiis carniū, ex opposito autem rei affandae humidum & pinguedo restringitur in interioribus vel si trahitur secundum partem ad superficiem consumitur acuitate caloris.

Quarta. Rei elixandae partes non diuiduntur nec discontinuantur nisi fiat elixatio quasi usque ad exsiccationem, quia humidum aqueum non consumit humidum continuatum, sed ut confimile conseruat, ex opposito autem

rei affandae partes praecipue exteriores discontinuantur nisi perunctae aliqua pinguedine cuius viscositate & humiditate fiat resistentia calido sicco consumenti, & discontinuati.

Quinta, & haec est philosophi in text. 24. passa epsefis sunt sicciora quam assa, intelligas secundum partes extrinsecas & intrinsecas quae autem sunt assa sunt quidem sicca in exteriori superficie sed intrinsece sunt humida, sed de hoc faciam particularem.

Circa tertium. scilicet quotupliciter fiat aduerte, quod philosophus in tex. 25. 26. 27. ponit plures modos, quia aliter in carne, aliter in metallo, aliter in musto, aliter in lacte, & alio sine in diuersis &c. Sed hos omnes modos declarat Albertus magnus in c. 22. Tu autem si vis resolutionem pone tres Distinctiones.

Prima distinctio. Aliquod elixabile dupliciter scilicet proprie, & metaphorice, elixabile proprie debet habere conditiones duas, primo, quod ultra humidum continuatum habeat humidum, aqueum sibi intrinsecum adiunctum sicco, & secundo quod tale humidum aqueum sit separabile à sicco sine discontinuitate partium propter defectum humiditatis aquae, lapides sunt inelixabiles, ut lapides sunt, propter inseparationem humidi aquei à sicco ligna sunt inelixabilia, Similiter oleum quia ex sua viscositate & pinguedine partes humidae inseparabiliter inhaerent siccis, sed id magis clarum erit cum loquemur de pinguedine. Elixabile autem metaphorice sufficit quod habeat humidum aqueum separabile à sicco non quidem subtili & connaturali, sed à sicco extraneo grosso & fetulento, sic elixantur metalla quando purgantur igne, sic elixatur vinum quando purgatur à fecce, similiter omne liquidum quod ebullitione purgatur, sed differunt in hoc à metallis quia illa elixantur caliditate ignea extrinseca haec autem caliditate intrinseca coniuncta suo proprio humido. Hoc modo elixatur lac quando partim calore ignis partim calore intrinseco & calore coaguli separantur partes grossae ab humidis, & caseales ab aqua lactis, & à butirosis quae sunt humidae aereae ut declarat sua pinguedo.

Secunda distinctio sumpta ex parte finis. Quaedam elixantur ut sint comestibilia, quaedam ut sint potabilia sicut mustum, Sicut aqua decoquitur bibenda ab infirmo. Vnde de elixatur improprie sicut aurum. Quaedam ut minuatur eorum malitia, sic elixatur scamonea. Quaedam ut sint praeciosiora sicut metalla.

Tertia distinctio. Quaedam elixantur naturaliter ut cibus in stomacho, & haec semper fit à calore naturali. Quaedam artificialiter & haec semper fit à calore igneo vel etiam solari, tamen recepto in humido aqueo cooperate tamen calore naturali rei elixabilis. Vnde dicemus infra quod ea in quibus calor praeinitus est extinctus, ut in cristallo non possunt elixari, nec liquari. Haec de epsefi dicta sunt.

Q V A E S T I O X V I.

si frixa, debent dici assa.

Quae enim infrixuris affantur ab extrinseco calido patiuntur. Tex. 24.

Circa hunc tex. aduerte, quod quia frixa digeruntur & decoquantur in humido calido, puta in oleo, vel pinguedine, ideo ab aliquibus reputantur elixata. Item quia in superficie exteriori efficiuntur sicca & dura, imo rugosa, ideo ab aliis reputantur assa. Alij autem dicunt quod est quarta species digestionis, participans duo extrema scilicet elixationem, & affationem. Verum quia philosophus adnumerauit tantum tres species digestionis, ideo ne videatur diminutus, tu tenebis, quod frixiatio, sit affatio, eo quod habet omnes conditiones eius. Nam frixa, extra sunt sicca, intus autem sunt humida, licet inueniantur intus minus humida & exterius minus sicca, quam assa. Hoc enim prouenit à viscositate humidi aerei, quae est in oleo, vel alio pingui. Illa enim praesertim ab adustione, ideo exterius sunt minus sicca: sunt autem minus humida quoniam calor seruens adiunctus humido aereo defertur partim usque ad intima rei frixatae propter subtilitatem humidi aerei, licet autem sint minus sicca in exteriori superficie & minus humida in interioribus, propter hoc non est negandum quin sint assa, quoniam magis & minus non variat speciem.

Duo autem faciunt dubium propter quae non videntur assa, primum est, quia assa videntur decocta à calore recepto in sicco, puta in ligno ut dicemus infra, frixa autem de coquantur

coquantur à calore recepto in humido, ergo videntur elixata.

Huic respondet Albertus magn. in ca. 20. ibi. (Causa est, quia humidum spirituale) & solutio stat in hoc, non omne humidum est causa elixationis, sed humidum hebetans, sicut est humidum aqueum, si autem est aliquod humidum non hebetans, imo acuens calorem, tale non elixat sed affat, cum enim sit pabulum ignis sicut etiam lignum vel aliud siccum terrestre non impedit calorem à sua actione, ideo idem est iudicandum de calore recepto in humido aereo, & de calore recepto in ligno vel alio sicco, sicut ergo hic affat similiter & ille. Quod autem humidum aereum sit acuens calorem ignis declarat Albertus magnus in fine ca. 20. ibi. (In hoc iterum scitur causa, &c.) Eandem responsionem inuenies in Alber. saxo. in 4. in q. 7. ibi. (sed dubitatur quomodo in affatione calor agit, &c.)

Secundum dubium est. Si frixa sunt assa, quare medici concedunt infirmo assa & non frixa.

Ad hoc respondetur, quod licet frixum sit assum: quia siccum extra, & humidum intra, tamen differt ab asso propter aliquam malam qualitatem impressam à calore agente cum humido aereo viscoso, quæ non imprimitur à calore agente cum sicco. Illud enim humidum viscosum ingrediens partes rei frixæ remanet in ea, & propterea male afficit. Vnde si humidum viscosum non magis inhæret rei frixæ, quam calor agens cum sicco in affatione essent frixa & assa æque salubria, vel æque nocua. Circa hanc quæstionem aliud difficile non occurrit.

Q V A E S T I O X V I I .

Si elixata sunt sicciora assatis.

Propter quod sicciora quæ epsefim passa sunt quam assa. Text. 2. 4.

Circa hanc q. aduerte quod Albertus mag. & Albertus Saxo. mouent eam, primus quidem in c. 21. per totum, secundus autem in q. sexta. Quia autem Albert. saxo. formalius procedit ideo resolue te in ipso, & aduerte dubium quod proponit, si assa sunt humidiora, quam elixata, quare medici, patientibus fluxum concedunt assa, & non elixata, cum tamen fluxus sit curandus per restrictionem, & exsiccationem. Responsio sua resoluta est, nec indiget declaratione.

Aduerte tamen, quod dubium remanet an conclusio verificetur de omnibus elixatis, & videtur quod non. Nam non verificatur in musto nec in lacte, imo post elixationem sunt humidiora, quoniam segregata remanent à partibus grossioribus. Item vitellum oui siue elixatum siue affatum, etiam si fiat durum, dummodo ouum sit recens, semper in centro remanet liquidum, & habet quasi lacrimam, & hoc apparet etiam postquam frige factum fuerit, ergo conclusio non est vniuersalis.

Ad primum. Dico quod conclusio est vniuersalis, dummodo sit elixatio proprie dicta & in solidis, modo constat ex supradictis, quod nec lac nec mustum proprie elixatur, nec sunt de numero solidorum sed fluibilia.

Ad secundum. Respondet Albertus magn. in ca. 21. ibi. (In ouis autem,) & intendit, quod hoc non conuenit eis in quantum elixata aut assa, sed ex tali complexionem quæ est in ouo. Vnde hæc est per accidens, ouum elixatum est humidius in centro quam in extremis. Quare autem hoc particulariter reperiatur in ouo. vide ipsum Albertum, & solutio stat in hoc, quod actione calidi, siue elixetur siue affatur, resoluitur humidum subtile aereum pingue, & viscosum, & quia viscosum, ideo partes multum tenent se, nec facile exhalant. Quia autem actione calidi indurantur extrinseca oui, concurrente etiam duricia corticis, illud humidum subtile aereum, non potens exhalare, repercutitur ad centrum, & ibi vnitur. Multo autem magis cum frige factum fuerit ouum, propter frigus extrinsecum condensans, partes exteriores, & faciens magis concentrari illud humidum subtile viscosum. Quare autem hoc contingit in ouo recenti, & non in ouo antiquato, ratio est, quia in ouo antiquato, iam exhalauit illud humidum aereum pingue, & ideo sunt deterioris nutrimenti. Hinc patet causa, quare oua antiquata secundum totum indurantur etiam vsque ad partes centrales, oua autem recentia etiam si per magnam moram elixentur, non indurantur, in centro. Tota causa est illud humidum subtile aereum, exhalatum, vel non exhalatum.

Q V A E S T I O X V I I I .

De molinisi quid sit, & quæ sint causæ eius, & quæ proprietates eorum, quæ passa sunt molinisi.

Molinis autem indigestio quidem est, contraria autem epsefi Text. 28.

Circa hunc textum inuestigandum est, si definitio molinisi est conueniens, quam adducit philosophus. Secundo quæ sint causæ eius. Tertio quæ proprietates eorum, quæ patiuntur molinisi. Quarto solua dubium quoddam.

Circa 1. aduerte, quod sic definitur. Molinisi est indigestio eius, quod est in corpore, interminati, propter defectum caliditatis, quæ est in humido, quod in circuitu. Declaratio huius definitionis, pendet ex definitione epsefis, nam cum sint contrarij motus & contrariæ alterationes, debent fieri circa idem, sed à contrariis agentibus, contrarij etiam effectus, sunt contrariarum causarum. Quoniam igitur sunt contrariæ molinisi, & epsefis, ideo per opposita genera scilicet, digestio. & indigestio. definiuntur, & quoniam contrarij motus, sunt circa idem, ideo vtraque est circa interminatum digerendum, & quomodo intelligatur ly interminatum, declarauit in definitione epsefis, licet autem sint circa idem interminatum, tamen differunt sine, quoniam epsefis interminatum terminat, i. digerit, & facit conueniens rei nutritibili. Molinisi autem, interminatum alterat, sed ex debilitate agentis, non potest producere ad terminum. Ita quod sit conueniens nutritibili. Item quoniam sunt contrarij motus, ideo sunt à contrariis agentibus, epsefis quidem est à vigoroso calido recepto in humido aereo circundante rem elixandam. ergo Molinisi erit, à debili calido recepto in humido aereo circundante, & hoc est quod dicit philosophus, propter defectum caliditatis, quæ est in humido scilicet, a quo quod est in circuitu, id est, circumsistente, vel circumfluente re, quæ patiuntur molinisi, & sic patet, quod definitio est sufficiens.

Circa 2. aduerte, quod caliditatis defectus, non est causa positiua sed priuatiua, cuiuslibet autem effectui reali, vltra causam priuatiuam, quæ non influit in esse, in effectu, assignanda est causa positiua. Illæ ergo erunt causæ positiuæ molinisi, quæ sunt causæ defectus caliditatis, & ideo philosophus, in eodem tex. ibi. (& defectus autem aut fit propter multitudinem,) assignat duas causas disiunctiue dicens, quod est propter multitudinem frigiditatis existentis in humido aereo digerente, nam quod habet multum de vno contrario, minus habet de alio, sicut quod habet multum de albedine, parum habet de nigredine. Si ergo humidum aereum habet multum de frigido, parum habebit de calido, & ideo non elixabit, licet alteret, & aliquantum calefaciat elixabile, aut est propter superabundantem humiditatem existentem in elixabili, præcipue viscosam. Tanta. n. potest esse quæ est in proportionata calido elixanti, adeo quod non potest educere eam ad superficiem. Sic quorundam piscium caro est inelixabilis, ex superabundanti viscosa humiditate, vt expertum est de pisce marino, quod dicitur canis, quod quanto magis ebullit, tanto durior efficitur. Durities autem signum est molinisi, vt statim dicam.

Circa 3. quæ sint proprietates eorum quæ patiuntur molinisi, philosophus in text. ibi. (propter quod duriora quidem, &c.) assignat duas, prima est, quod sunt duriora elixatis, & huius causam assignat Alber. mag. in c. 23. ibi. (& quia molinisi passa.) Sed clarius in ca. 21. ibi. (Quod autem dicitur dura esse, res elixata) secunda est, quod sunt magis determinata. Sed quomodo hoc sit, non declarat Albertus, nec.

Desunt hic pauca quedam.

Quarto mouetur dubium circa id quod dictum est, in definitione molinisi, quod molinisi, & epsefis sunt duo motus contrarij, ideo sunt à contrariis causis. Contra motus contrarij, habent terminos à quo, & terminos ad quem contrarios sed molinisi, & ep. non incipiunt à terminum à quo contrariis, imo ab eodem scilicet, ab interminato digestibili: ergo non sunt motus contrarij.

Ad hoc respondet, quod motus quidam sunt contrarij simpliciter, & perfectè, & illi sunt qui à terminis contrariis, & ad terminos contrarios, & hoc modo epsefis & molinisi, non sunt motus contrarij, sicut arguebatur. Quidam autem sunt contrarij, quia terminant ad contraria, sicut si duæ alterationes inciperent à rubedine, & vna terminaret ad albedinem alia ad nigredinem, & hoc modo in d. imperfectius molinisi & epsefis sunt contrarij motus, quoniam epsefis terminant ad digestum simpliciter, molinisi autem terminatur non ad indigestum simpliciter, sed ad aliquid motum & alteratum, vt digereretur, sed relictum indigestum, ex defectu caloris. Termini ergo eorum sunt sicut imperfectum & perfectum.

Vnde

Vnde tanta est contrarietas inter eos, quanta est inter motum ad tepiditatem, & motum ad calorem perfectum.

Q V A E S T I O X I X.

De optesi quid sit, & an fiat tantum arte.

Optesis autem est digestio à caliditate sicca & aliena. Tex. 28.

Circa optesis diffinitionem, aduerte quod cum contrarietur epsefi ex parte agentis & conueniat in materia circa quam: quam diximus esse digestibile interminatum existens in humido nutrimentali, Intellecta diffinitione epsefis facile constat diffinitio optesis. Sic ergo diffiniatur. Optesis est digestio interminati humidi, à caliditate sicca, & aliena. Dicitur interminati humidi, eadē ratione, quæ & in epsefi, dicitur à caliditate sicca, quoniam sicut epsefis est à caliditate humida aquea, ita ex opposito, hæc erit à caliditate adiuncta sicco grosso, vt est carbo ignitus, ly autem aliena, facit dubium, quoniam si digestio in communi, est à proprio calido, quomodo optesis est ab alieno, & ideo pono duas distinctio. prima, optesis aut fit arte, aut fit natura, secūda, caliditas potest dici aliena dupliciter Primo quod nulli fit naturalis sed elementaris tantum. Secundo quod digerenti fit naturalis, non autem digestibili. Dico ergo. Si diffinitio accomodetur optesi artificiali, in quo sensu præcipue, videtur loqui philosophus: ly aliena, exponenda est per extrinseca, & nullo naturali, Si autem accomodetur optesi naturali, quod ly aliena exponenda est extrinseca cōparata digestibili: non autem comparata digerenti. Vt autē saluetur diffinitio philosophi, data de digestionē, dico quod illa verificatur solum in digestionē naturali, sed primo & principaliter in pepasi, in epsefi autem & optesi, sufficit quod calor proprius, & naturalis rei digestibilis coadiuet, vt etiam supra diximus.

Circa Secundum scilicet an fiat tantum arte, aduerte vt Albert. mag. in c. 24. adducit, quidam attendentes hanc diffinitionem philosophi, in qua dicit à caliditate aliena, tenet, quod mens philosophi fuit, eam solum fieri ab arte, & quod si dicantur fieri à natura, pro tanto est, quia natura imitatur artem. Sed vide Albertum magnum in c. 26. Et illic duo inuenies, primo quod ars imitatur naturam, sed nō e contrario, & probat: & ideo concludit quod optesis artificialis imitatur optesim naturalem, quam operatur natura, in corpore animalis agens per calorem cordis, & epatis. Secundo Declarat de mente Auic. quomodo natura complet ossa, per optesim, carnem autem per epsefim, sed neruos & cartilagine per vtranque. Sicut quando ars, carnem femeliat, deinde complet per assationem.

Et quod secundum philosophum, fiant arte & natura, licet à manifestiori denominentur ab arte, habes expresse in tex. 28. ibi (Optesis quidem igitur & epsefis sunt quidem arte, &c.) Vtique ibi. (Similis molinfi.) De optesi non occurrit aliud difficile. Qualiter autem assa sint sicca extra, & intus humida iam declaratum est in epsefi, & etiam philosophus declarat, in tex. 28. ibi (propter quod exteriora sicca.)

Q V A E S T I O X X.

Si elixata transmutentur ad optesim fiant assa & non permaneant elixata.

Propter quod si quis exercens epsefim facit permutari & digeri non ab humidi, caliditate sed ab ea, quæ ignis cum consumatum fuerit assatum fit, & non elixatum. Tex. 28.

Circa hunc textum Albertus magnus in c. 25. mouet dubium, probans quod non erunt nec elixata nec assa, quoniam tunc fient sicca intus per elixationem, & fient sicca extra per assationem: ergo nec elixa nec assa erūt. Itē duo curiosa problemata mouet, primum, quare mechanici sunt nutriendi duris & assis, cum habeant calorem acutum cuius fomentum debet esse humidum, ne inordinet, exsiccat mixtum, & destruat. Secundum, quare studiosi & philosophi, nutriendi sunt mollibus, & elixatis, cum habeant cerebrum calidum, attrahens humidum à stomacho, & conuertens, in reumata, quæ descendunt iterum in stomacho, distemperant eum, & pessimas ægritudines inducunt.

Ad hæc omnia respondet Albertus, & adeo clarus est primum problema, reddit causam quare maleatores quod non indiget extensione, & aduerte, quod quia nutrimentum digestum, maxime trahitur ad locum, vbi viget calor naturalis, ideo Albertus in responsione ad primum problema, reddit causam quare maleatores habent brachia in proportio

naliter magna, similiter fuloni crura, ita quod non solum ipsi, sed etiam filij eorū nascuntur sæpe, cum hac inproportionē in cruribus, aut brachijs.

Q V A E S T I O X X I.

Si vermes qui dicuntur lumbrici, generantur in medio ventre qui est stomachus an in infimo, id est, in intestinis.

Et animal non fit in ipsa digestionē, sicut quidam aiunt sed in segregatione putrefacta in inferiori ventre. Tex. 28.

Circa hanc quæquam prolixè pertractat Albert. in c. 27. agenda sunt, primo ex qua materia generantur, secundo in quo loco. Tertio vnde prouenit eorum diuersitas. quarto fiet vnum correlarium. quinto respondebitur rationibus eorum qui tenent, quod generantur in stomacho.

Circa Primum scilicet, è qua materia generentur, duæ sunt opinio. vna est Auicennæ qui tenet, quod non ex superfluitate colerica, nec ex melancholia siue naturali siue innaturali, nec ex humido sanguineo, sed ex superfluitate flegmatatica, generantur, & horum rationem de mente Auic. adducit Albertus ibi. (In ista enim ambiguitate) Alia opinio est quæ ponit Albert. infra ibi. (Sunt etiam aliqui dicentes, quod isti vermes.) Ista opinio dicit, quod generantur partim ex colera partim melancholia &c. quia non datur humor colericus adeo simplex, cui non fit admixtum aliquid melancholice & flegmatis & saniei. Quamuis possit dici quod generatur ex humore composito, flegmatico tamen ex prædominio. Harum opinio. quæ verior sit, iudicium sit medici.

Circa Secundum scilicet, opinio. Auic. & in libr. 3. fen 17. tract. 5. in quo loco generentur, pono duas conclusiones, de mente philosophi & Auicennæ. non generantur in stomacho quia generatur ex indigestione & ex putrefactione cibi; sed cibus non putrefit in stomacho, nisi per accidens, pura ex in firmitate, vel debilitate caloris, quæ est in tali supposito, nō autem per se, & ordine nature: ergo, &c. Minor probatur. In stomacho regulariter magis viget calor propter proximitatem cordis, & epatis, & propter essentiam suæ complexionis, ergo regulariter obtinet super alimentum, & totum humidum subtile decoctum trahitur ad epar. grossum autem inferius propellitur, & sic patet quod regulariter nō putrefit cibus in stomacho: ergo nec ibi generantur vermes. Sic enim generantur, sicut animalia ex putrefactis, de quibus supra locuti sumus.

Secunda conclusio vermes generantur in inferiori ventre, hæc patet ex sufficienti diuisione. Sed cum iste venter plura habeat intestina, quaritur in quibus generantur, & in quibus non, & de hoc adducuntur duæ opiniones ab Alberto, prima est Auicennæ, & ponit ibi (secundum Auicennam etiam generantur, &c.) Illic inuenies, quod non generantur in stomacho, nec in duo deno, nec in ieiuno intestino, & rationem assignat. Generantur autem in his quatuor intestinis, scilicet in inuoluto, & in monoculo & in colon, & in recto, per quod velociter emittitur stercus. Alia autem opinio. ponitur ibi (est autem sententia, &c.) Ista opinio tenet quod generantur tantum in colo, & ratione satis apparenti.

Circa Tertium scilicet, vnde prouenit horum diuersitas in quantitate, & figura & colore. Aduerte quod quia generantur ex putrefactis fecibus, sicut animalia ex putrefacto mixto. ideo eadē ratio, qua declarauit supra Albertus in c. 11. quare vermes nati ex putrefactis, variantur in quantitate & colore, potest hic adduci, & innuit eam Albertus magnus, in c. 27. ibi. (Sunt etiam aliqui dicentes, &c.)

Circa Quartum scilicet, quo ad correlarium, dico quod de mente philosophi tenendum est, feces nō recipere formam substantialem in stomacho, sed in intestinis regulariter, quoniam feces nō sunt actu, nisi propter putrefactionem, quod declarat eorum foetor, putrefactio autem, non fit regulariter in stomacho, vbi viget calor. Nam calor intensus præferuat à putrefactione, vt docuit supra, philosophus in tex. 10. ergo regulariter non fiunt in stomacho nisi forte vt diximus ex infirmitate, vel mala qualitate impressa in stomacho, qua corrumperetur debita complexio stomachi.

Circa Quintum respondendum est rationibus eorum, qui tenent vermes generari in stomacho, & tu responde vt Albertus in c. 27. ibi. (Ad rationes autem ipsorum.)

De stasesi, quæ opponitur optesi, non occurrit aliquod dubium, & diffinienda est sicut molinfi, seruato hoc, quod

in molini dicebatur esse indigestionem propter defectum caliditatis, quæ est in humido circumstante, hic autem dicitur, State sim esse indigestionem propter defectum caliditatis, quæ est in sicco circumstante, vel saltem ad vnam partem approximato. Defectus autem huius caliditatis, provenit ex eisdem causis, sicut in molini, & hoc totum vide in Alberto magno in c.28. per totum.

Q V A E S T I O X X I I .

De impressionibus qualitatum passuarum.

De duro, & molli, à quo sint, & quid sint & quotupliciter dicantur.

Corporaliū autem passionum, has primas necesse est existere terminato, duriciem aut molliciem. Tex. 30.

Philosophus hic incipit de impressionibus, qualitatum passuarū. Inter quas primo ponit duriciem aut molliciem. De quibus acturi dicemus duo. primo quia vult Philosophus, quod causentur ab humido & sicco, inuestigandum est, quale sit hoc humidum & siccum passiuum, in quo recipitur mollicies & duricies. secundo quia philosophus vult, quod duricies vel mollicies in sit cuilibet mixto terminato id est, non fluido, inuestigandum est, quomodo id possumus probare. tertio Diffiniendum est, quid sit molle, & durum. quarto quotupliciter dicuntur.

Circa Primum aduerte, q̄ humidum, & siccum duplicia sunt, spirituale vt siccum ignis, & humidum aeris, corporale vel materiale, vt humidum aquæ, & siccum terræ, dico q̄ duricies, & mollicies non recipiuntur in humido & sicco spiritali, vt stant in natura sua, sed in humido & sicco corporali. nam humidū aereum nisi ingrossetur, & trāsmutetur ad humidū aqueum, non potest ex sua subtilitate, continuare partes sicci. Similiter siccum igneum ex sua subtilitate, non potest terminare, & facere constare partes humidū: perfectam tamen huius declarationem, & rationes inuenies in Alberto magno in 4. li. tract. 2. art. 1. ibi. (Secunda causa est.) Vsq̄ in finem cap.

Circa Secundum, s. quomodo probabitur, quod duricies vel mollicies, in sit cuilibet corpori terminato id est, nō fluido. Dico quod philosophus probat, hac consequentia. Omne mixtum terminatum est compositum ex humido aqueo, & sicco terrestri: ergo est durum vel molle. Antecedens ponitur à Philosopho, in tex. 28. ibi. (Sunt autem principia quidem corporum passiuā, &c.) Quod antecedens dupliciter probatur Ab Alberto magno tract. 2. c. 2. ex fundamentis tamen philosophi in litera.

Prima probatio stat in hoc, omne mixtum terminatum, habet partes constantes id est, non fluidas, & partes continuatas, sed purum humidum non constat, purum siccū non continuatur, vt patet in partibus cineris. ergo si debet esse terminatum, necessario cōponitur ex humido & sicco corporali. Hanc probationem diffundit Albertus ex principio c. 2. Vsq̄ ibi. (Si autem has.)

Secunda probatio, sumit à philosopho in tex. 29. ibi. (propter hæc autem omnia &c.) quam Albertus in eodem capi. ibi. (Amplius autē hoc, &c.) & illic inuenies, quomodo nullum animal pascitur ex simplici elemento, & quomodo fit fallum Salamādrā nutrirī solo igne, vel aliquos pisces vt alech, & sturio nutrirī sola aqua. Vide eum: Consequentiam autem dupliciter probare possumus. primo sic. Omne mixtum terminatum componitur ex humido aqueo & sicco terreo ex prædictis, ergo cōponitur æqualiter, vel in æqualiter, non æqualiter, quia non datur mixtum ad pondus, secundum qualitates alteratiuas, vt discussimus in secundo de generatione etiam de mente commentatoris. Si in æqualiter, ergo vel prædominatur siccum, & sic erit durum, vel prædominatur humidum, & sic erit molle. secundo sic, omne mixtum terminatum, vel cedit tangenti, vel non cedit. Si cedit est molle, si non cedit, erit durum, quod erit magis clarum cum adducemus rationes molliis & duri.

Circa Tertium, s. quid sit durū & molle, Philosophus in tex. 30. diffinit ibi (est autem durum, &c.) & Albertus in tract. 2. c. 3. declarat diffinitiones, & breuiter nota, q̄ durū est, quod non cedit tangenti, nec secundum superficiem, nec secundum profundum, nec amittit figuram, nec quantitatem suam, sed est semper eiusdem extensionis, sicut lapis, & hæc est diffinitio duri, simpliciter & absolute. Molle autem habet omnes conditiones oppositas, & quoniam non solum

distinguitur à duro, sed etiā à fluido, vt distinguatur à fluido additur in diffinitione molliis, (nō circumstanto) id est, non fluendo, circa tangens, propter quod aqua, & alia fluida non dicuntur molliā, & hæc est ratio molliis absolute dicti.

Circa Quartum scilicet, quotupliciter dicitur, aduerte quod sicut graue, & leue dupliciter dicuntur l. absolute & in respectu, sic durum & molle & id ponit philosophus in tex. 3. ibi. (Simpliciter quidem igitur, &c.) Albertus autem, mentem suam declarat in tract. 2. c. 3. ibi. (Vnumquodque autem istorum,) & non est difficultas in hoc, ideo pertranseo.

Q V A E S T I O X X I I I .

De exsiccatione quæ arefactio etiam dicitur, & de humectatione quid sint, & quorum sint, & à quibus agentibus sint.

Desiccantur autem quæcunque sunt aqua, aut aquæ species, aut habent aquam super inductam, aut naturalem. Text. 31.

Circa hunc textum, philosophus agit de exsiccatione, & humectatione vsque ad textum trigesimum quintū, vt ergo resoluat hoc propositū, diuido in duas partes. primo agam de exsiccatione, secundo de humectatione. De exsiccatione, dicam quinque, primo quid sit, secūdo quorum sit, tertio à quo sit, quarto quæ impediunt exsiccationem, quinto solūam dubium vnum.

Circa primum quid sit. aduerte quod Albertus magnus in tract. 2. in c. 5. sic diffinit eam. Arefactio est motus eius qd̄ est in actu humidum fluidum, ad exsiccationem, quæ sit euaporatione humidū ab ipso. Tu tamen clarius potes sic dicere, quod est motus ab humiditate ad siccitatem, sicut calefactio est motus à frigiditate ad calorem vnde sicut ad corruptionem frigiditatis, sequitur caliditas, sic ad exhalationem humiditatis sequitur siccitas, in eo quod prius humidum erat, ex quo sequitur correlarie, quod naturaliter sicca, non dicuntur exsiccari, vt sicca sunt, nisi sint receptibilia alicuius humidū, propter cuius exhalationem dicuntur exsiccari. vnde lapides veri, non exsiccantur licet sint sicci.

Circa Secundum scilicet, quorum sit exsiccatio vt subiecti, dico quod exsiccabilia sunt aqua aut aquæ species, & quæcunque humida actu fluida, quæ non habent tantā terrestritatem, quæ possit facere aliquam ypostasim, & tantā, quod prohibeantur à suo fluxu, & quæcunque habent aquā super inductam, aut naturalem. Quomodo intelligatur ly aqua, & ly aquæ species, & ly aliquam ypostasim, & ly super inductam aquam, & ly naturalem, omnia exponit Alb. mag. in tract. 2. c. 5. ibi. (Non quidem aqua simplex, &c.) Vsq̄ ibi (ita tamen, quod non careant ypostasi.)

Circa Tertium, à quo tanquam ab agente sit, aduerte, quod Philoso. tex. 33. adducit duas causas, s. calidum aut frigidum. Dicit enim (& res humidæ arefcunt propter frigus aut propter calorem.) Sed si loquimur de agente per se, dico quod est tantum à calido, siue extrinseco, siue intrinseco, cum enim exsiccatio fiat propter exhalationem humidū, & solum calidum faciat exhalare, frigidum enim per se cōprimat humidum, vt diximus supra agentes de impediētibz putrefactionem, sequitur quod exsiccatio fiat p se tantum à calido, quod autem dicit philosophus (propter frigus,) hoc est per accidens, vt declarat Alb. mag. in tract. 2. c. 5. ibi. (Vnde quæcunque arefcunt frigido &c.) Vsq̄ ibi (scias etiam quod per ingressum, &c.)

Circa Quartum scilicet, quæ impediunt exsiccationem, dico quod duo maxime impediunt. primo est visco sitas, nā quasi inseparabiliter conglutinatur humidum cum sicco, & ideo viscosa vt mel, & oleum, non possunt exsiccari, actione calidi, potius autem consumuntur. secundo multa terre streitas impedit. Nam exsiccatio supponit, quod exsiccātū non discōtinuetur, in partibus, nec incineretur, quæ autem sunt multum terrestria, exhalato humido, discontinuantur, sicut gleba terræ, quando resoluitur in puluerem, & ideo talia potius dicuntur resoluta, quam exsiccata. Hæc omnia tāgit Albertus in tract. 2. c. 5. ibi. (Quæ autem sunt viscosa, &c.)

Circa Quintum id est, dubium soluedum, aduerte, quod diffinitio Philosophi, de exsiccatione, non videretur esse vniuersalis, nam quædam sunt quæ exsiccantur non per exhalationem humidū, sed per nouam immiſsionem alicuius sicci.

Sicut quando exsiccatur pasta, per immiſsionem nouæ farinæ.

Sed hoc dubium soluit Albertus in tract. 2. c. 5. ibi. (Scias etiam

etiam quod per ingressum multum siccum, & intedit quod philosophus diffiniuit exsiccationem, proprie dictam, hæc autem est magis apparens, quam vera, nam cum in ea, non fiat exhalatio humidum, non potest vere dici exsiccatio, quæ est motus ab humido ad siccum, terminus autem à quo & ad quæ sunt impossibiles.

De humectatione autem dico tria, primo quid sit, secundo à quo sit, tertio quot modis sit.

Circa 1. quid sit, aduerte quod cum opponatur exsiccationi, per opposita debet diffiniri: unde sic diffiniatur, humectatio est motus ab eo quod est actu siccum, essentialiter autem humidum, ad actu humidum, per humidum solutionem. (Dicitur ab eo, quod est actu siccum) quoniam terminus ad quem exsiccationis, debet esse ter. à quo, humectationis. Dicitur essentialiter autem humidum, nam essentialiter & naturaliter sicca, quæ habent humidum, tantum continuatum, ut lapis, non possunt humectari. Dicitur per humidum solutionem: nam quæ humectantur ideo ante humectationem, sunt dura, quoniam aliquo frigido coagulante ut patet in cera frigido coagulata, vel frigido congelante ut patet in metallis frigidatis, nec possunt humectari, nisi humidum eorum naturale compressum ex frigore, rarefiat & dissoluatur. unde videmus omnia liquabilia, antequam liquantur, mollescunt & humectantur diffusionem humidum.

Circa 2. scilicet à quo sit. Dico quod à solo calido, frigidum enim est compressum humidum naturalis, ergo non est diffusum nec solutum eiusdem. Sed hoc est sui oppositi, contrariorum enim contrarij sunt effectus.

Circa 3. quot modis sit dico quod fit proprie per humidum intrinsicam solutionem, & hæc semper à calido, fit etiam improprie, per humidum extrinsecam infusionem in siccum, ut quæ madefit panis, aut terra, & hæc potest fieri à frigido, ut declarat Albertus in tract. 2. c. 7. ibi (Humectari etiam.) Sed aduerte quod philosophus de hac in propria non considerat. unde in hoc considerat, de exsiccatione & humectatione, ut sunt motus naturales, quorum principium actuum est eis intrinsicum scilicet calor naturalis, qui dum exsiccatur facit exhalare humidum naturale. Dum autem humectat facit dissolvere humidum. Aduerte tamen quod humectatio non fit à solo calore intrinsicum, sed coadiuuatur ab extrinsecum ut patet dum mollescit & humectatur cera.

Q V A E S T I O X X I I I .

De congelatione & coagulatione, de conglutinatione, & impinguatione, de coadunatione, & de suis oppositis, quid sint, quorum sint, & à quibus sint.

De liquatione autem & coagulatione simul erit palam. Tex. 35.

AD resolutionem omnium istorum, primo inuestigabimus quid sint, secundo quibus conueniunt, tertio à quibus agentibus sunt.

Circa 1. aduerte quod philosophus, nullum eorum formaliter diffinit, Albertus mag. autem aliqua sic, aliqua non. Duo enim prima, non formaliter diffinit, reliqua autem sic, ut patet in tractatu 2. c. 6. Tamen in fine capituli quinti, ibi: (est autem differentia congelati,) tangit ea ex quibus potest formari eorum diffinitio. Sic ergo diffinitio Congelatio est constantia partium aquearum facta per frigidum, comprimens eas cum terrestribus, ita quod partes terrestres non apprehendunt aqueas, nec econuerso, primo dicitur constantia partium, &c. vsque ibi (ita quod) nam quæ congelantur actu humida sunt, ut patet, ergo aqueas partes habent, facta per frigidum. Solum enim frigidum congelat; unde dicitur congelatio à gelido, comprimens cum terrestribus, quoniam purum humidum ut aqua simplex non congelatur. Hæc elicies ex Alberto in tract. 2. c. 7.

Coagulatione est constantia partium fluidarum, facta per calidum extrahens humidum, à partibus, terrestribus, vel per frigidum comprimens humidum inter partes terrestres. Dicitur constantia, quam Albertus appellat exsiccationem partium fluidarum, quod enim coagulatur, fluidum est, ut patet. Dicitur facta per calidum extrahens, &c. hoc patet in sale, quod coagulatur, & induratur, per consumptionem aqueæ humiditatis ut patet in littore maris. Dicitur vel frigidum comprimens, hoc patet dum coagulatur cera aut metallum. Ex hac diffinitio patet, quod coagulatione differt à congelatione in duobus. primo ex parte agentium, est. n. vna à frigido tantum, alia autem à calido & à frigido secundo ex

modo agendi, est enim congelatio, semper per compressionem humidum coagulatio autem & per extractionem, ut cum decoquitur later, & in productione salis, & per compressionem ut in cera frigidata.

Conglutinatione est colligatio partium, &c. vide eam formaliter in Alberto magno in tract. 2. c. 6. ibi. (Conglutinatione autem, &c.) Similiter inuenies formaliter illic, diffinitionem Impinguationis, & coadunationis. Quid autem sint opposita his relinquit ut clarum, ego tamen diffiniam, ut clarior sit doctrina.

Aduerte primo, quod congelationi, & coagulationi, communi termino opponitur liquatio, quæ sic potest diffiniri, liquatio est inconstantia vel solutio partium fluidarum, quæ ante constabant aut calido exsiccante humidum: ut in sale, aut frigido comprimente humidum, ut in cera & metallo.

Conglutinationi opponitur defluxio, quæ sic potest diffiniri, est decursus partium, eo quod humidum non retinet partes siccas, sed sibi derelictæ, decurrunt, ut cum mel lyxatur, & efficitur sicut aqua.

Impinguationi opponitur macies, quæ sic diffiniri potest, est inconstantia vel consumptio aerei subtilis admixti cum aereo, & terreo subtili.

Coadunationi opponitur dissipatio, quæ sic diffiniri potest, est dispersio partium, ita quod non prius remanent sub vno actu formæ vel alicuius mixti, ut cum resoluitur mixtum in sua componentia.

Circa 2. quorum sint, aduerte, quod philosophus in tex. 35. dicit, quod omnia quæ congelantur vel coagulantur, & quæ liquantur, &c. sunt aqua, aut aquæ species, aut communiter sunt ex aqua & terra, cum enim sint humida ut declarauimus est necesse, quod sint aqueæ humida, sicut aqua non quidem pura, hæc enim non congelatur nec coagulatur, ut diximus, sed aqua admixta partibus terrestribus vel sicut aquæ species quas vocat Albertus omnia fluida, ut vinum, lac, vrina, &c. vel composita ex terra & aqua, sed à prædominio ex aqua sic congelatur lutum, sic coagulatur pasta actione calidi siccum. ex his patet, quod nec purum siccum, nec purum humidum est congelabile nec liquabile, sed admixtum.

Circa 3. à quibus agentibus fiant, aduerte quod non datur certa regula de istis, nam de congelatione verum est, ut diximus supra, quod semper fit à frigido comprimente partes humiditas inter terrestres. De coagulatione autem dicit philosophus in tex. 36. quod potest fieri à calido & frigido & sicco, non quidem à sicco per seipsum tantum, quoniam per se est passivum. Sed adiunctum calido, & adiunctum frigido, puta calidum adiunctum sicco terrestri subtili, coagulat mel, & coagulat partes salis, adiunctum sicco grosso, & frigidum adiunctum sicco, coagulat metallum & ceram. Humidum autem nec per se, nec cum alio, est actiuum coagulationis sed passivum. Cum enim coagulatione sit motus ab humido ad siccum, est enim coagulatione, quædam exsiccatio, ut diximus supra. sequeretur quod humidum exsiccaret seipsum, quod est impossibile. Conglutinatio, autem fit à calido, & frigido, & humido, ut exponit Albertus mag. in tract. 2. c. 6. Sed aduerte, quod humidum in conglutinatione non est proprie actiuum, nisi dicatur actiuum, quia vincens partes siccas detinet eas ne profuant sicut aqua, quomodo autem diuersimode fiat à calido, & frigido, vide Albertum in eodem capitulo in diffinitione conglutinationis. Impinguatione autem fit à calido, & etiam à frigido, & quomodo ab utroque, declarat Albertus in eodem capitulo, in diffinitione impinguationis.

Coadunatio autem fit à calido generatè & mouente ad formam, & etiam ex parte materiæ, fit à frigido comprimente parte; ut stent sub forma mixti, & quomodo id fiat vide Albertum in capitulo eodem in diffinitione coadunationis: patet igitur in genere, à quibus causis fiunt. Magis autem in particulari considerando, pono hanc distinctionem coagulationis, quædam sunt aqua, vel aqueæ species, quædam sunt communiter aqua & terra, prima sunt omnia fluida, non tamen viscosa, ut aqua, vinum, vrina, lixiuum, &c. secunda sunt illa, quæ habent magnam ypostasim in fondo, vel viscosa, vel mollia terrestria. Quæ sunt aqua aut aquæ species, non coagulantur calido, sed tantum frigido comprimente humidum. Hæc enim liquantur & dissoluntur calido, ergo non coagulantur calido, & hoc vide in tex. philosophi 36. ibi. (Quæcunque igitur sunt aquæ,) & Albertus mag. declarat in tract. 2. c. 7. ibi. (Quæcunque igitur, &c.) Quæ autem sunt communiter terra & aqua commixta, coagulantur, & à calido

lido, & à frigido vt Philosophus in textu 37. ibi (Quæcun- que autem communia terræ & aquæ, &c.) Sed aduerte quod à calido coagulantur, per separationem humidum, à frigido per expressionem calidi quod etiam trahit suum humidum si parum est. Si autem humidum multum est: frigidum coagulat, per repressionem humidum in centro. Itē qñ calidum separat humidum à sicco, vel separat totū & tūc mixtum durefcit, vt later in fornace, & lapis in minera sua, qui decoquitur optefi: Vel non separat totum, & tunc mixtum pinguescit quod qualiter fiat, iam declarauit Albertus in c. 6. & in c. 8. ibi, (Causa autem, quod non impinguantur, &c. (Illic inuenies, quomodo ex latere cocto, non potest extrahi oleum licet alchimici teneant, quod ex omni mixto, potest extrahi oleum, nitrum, aurum, quod non est adhuc repertum, &c.)

Sed contra prædicta sunt duo dubia. primo contra illud quod dictum est, quod humidum non est causa coagulationis. Nam si mel elixatum ponitur in aqua coagulat. Ad hoc respondet philosophus in tex. 36. quod non coagulat ab humiditate aquæ, sed à frigiditate, quod quomodo fiat declarat Albertus magnus in tract. secundo, capitulo septimo ibi, (Est autem fortasse.)

Secundo contra illud quod dictum est, quod oleum nõ potest extrahi ex latere cocto: nam medici dicunt, quod datur oleum latericum, quod ex latere extrahitur & vruntur eo in medicinis. Ad hoc respondet Albertus magnus in tract. secundo ca. 8. ibi. (Oleum autem quod apud, &c.)

Q V A E S T I O X X V.

De liquatione & solutione quid sit, & à quibus causis fit. Propter quod resoluntur contrariis: quæcunque soluntur. Text. 36.

Circa hanc q. duo agenda sunt. primo quid sint. secundo à quibus causis sint.

Circa 1. aduerte, quod cum opponantur congelationi vel coagulationi, per opposita diffiniri debent, sic diffinimus in q. præcedenti, potes autem in genere sic diffinire, liquatio vel solutio, est motus à sicco ad humidum, factus aliquando à calido, aliquando à frigido vt declarauimus in q. præcedenti, & nunc magis dicemus.

Circa 2. à quibus causis fiant, aduerte quod philosophus in textu 36. ponit hanc regulam vniuersalem: liquatio & solutio, fit à contrariis causis congelationi vel coagulationi. Cum em̄ isti motus contrarietur, erunt à contrariis agentibus, propterea philosophus infra in textu 4. dicit (Sicco enim calido contrarium frigidum humidum: si ergo coagulat alterum, alterum soluit, &c. (ex quo sequitur corollaria, quod quæ coagulantur calido sicco, vt sal & nitrum & alumen, liquantur humido frigido, vt patet si ponantur in aqua. quæ autem coagulantur frigido, vt metalla, soluntur calido. Similiter quæ indurantur frigido, mollescunt calido, vt cera, & quæ indurantur sicco calido, vt panis, mollescunt frigido humido.)

Q V A E S T I O X X V I.

Quare coagulatorum, quædam sunt solubilia, quædam insolubilia, & quare oleum non coagulat.

Quæcunque igitur propter infrigidationem, & calido simul ducto omni, hæc insolubilia sunt. Textu 39.

Circa hunc textum aduerte, q. philosophus intendit declarare, quod coagulabile est magis commune, quam solubile, omne enim solubile & liquabile est coagulabile, sed non omne coagulabile est solubile, sicut sunt lapides preciosi, & præcipue cristallus, & hæc quidem insolubilitas non repugnat cristallo vt coagulatum: sed vt sic & tali modo coagulatum, quem declarabo: Vt ergo scias, quod coagulatum est solubile vel insolubile, pono hanc distinctionem.

Eorum quæ coagulantur, quædam coagulantur à frigido tantum, quædam à calido tantum, quædam à frigido & calido. Item quæ coagulantur frigido, dupliciter coagulantur scilicet, per expulsionem calidi secundum trahentis humidum, & tamen non totum trahit humidum, imo comprimitur à frigore circumstante, vt quando congelatur lutum, vel per extinctionem totius calidi intrinseci & compressionem humidum. Item quæ coagulantur calido sicco, dupliciter coagulantur, scilicet per consumptionem totius humidum, saluo præcise humidum continuatio, sic coagu-

latur later in fornace, & lapis in minera, ita quod per aduersionem, clausi sunt pori, nec humidum circumfluens habet ingressum in partes terrestres. Vel per consumptionem humidum, sine tamen aduersione, & remanentibus poris apertis, per quos humidum circumfluens potest habere ingressum. Quæ autem coagulantur calido, & frigido successiue, non subdiuiduntur. Ex his distinctionibus pono conclusiones.

Quæ coagulantur solo frigido, per expulsionem calidi secum trahentis humidum non tamen totum, vt quando congelatur lutum, vel coagulat cera, illa sunt solubilia per aduentum caloris extrinseci. Sicut enim fuga caloris est causa congelationis, vel coagulationis, ita reditus caloris est causa solutionis, & quomodo fiat hæc solutio, similis eplesi, vide Albertum magnum, in tract. secundo capitulo nono ibi. (Quæcunque ergo talium à gelido coagulantur) vsque ibi. (Si autem communia terræ & aquæ.)

Secunda quæ coagulantur solo frigido, extinguente penitus calidum, & comprimente fortiter humidum, inter partes grossas terrestres siccas, sunt quasi insolubilia, licet possint mollescari. Dico quasi, quia non possunt solui nisi à superabundanti igne, à temporato autem mollescunt, vt ferrum & cornu, & hanc declarat Albertus per totum nonum capitulum vbi docet soluere ferrum, & facere calibem & mollescere calificare calibem, ita quod sit compressibilis manibus, & in tantum indurare ferrum, quod fiet gladius scindens alios gladios. Hæc vide ad placitum, sunt enim curiosa.

Tertia quæcunque coagulantur, calido sicco, per consumptionem totius humidum, & clausuram pororum, & sunt penitus insolubilia, sicut lapides molles nigri sicut lateres optime decocti in fornace, licet enim possint puluerizari, non tamen mollescari nec liquari, & hanc ponit Albertus in tract. secundo capitulo decimo ibi. (Si sunt quidem insolubilia, &c.) vsque ibi. (Alia autem quæ plus habent terræ.)

Quarta quæcunque coagulantur calido sicco, per consumptionem humidum, stantibus tamen poris apertis, sunt solubilia humido frigido circumfluente, sicut sal & nitrum, & alumen. Et hanc ponit Albertus in capitulo decimo ibi, (Hæc autem solubilia sunt ideo, &c.)

Quinta quæcunque coagulantur calido sicco, & postea frigido, ita quod incipit à calido, & completur per frigidum, hæc omnino sunt insolubilia, quoniam cum solutio fiat à contrariis agentibus, non possunt solui nec à calido nec à frigido: hæc enim coagulant, vt supponimus. Hæc enim ponitur ab Alberto, in tract. secundo capitulo decimo quinto ibi. (Si autem aliquid coagulat duobus, &c.)

Sed contra prædicta insurgunt quatuor dubia. primum est de oleo, de quo dicit philosophus in textu quarto, q. contingit ipsum ingrossari & inspissari: vt patet tempore frigoris, non autem potest coagulari proprie, prout coagulatione est exsiccatio, quædam per humidum separationem, vel humidum compressionem in centro. Quæritur ergo quare non potest coagulari: nam vel est aqua à prædominio, & sic debet coagulari à frigido sicut cera, vel est terra à prædominio, & sic debet coagulari à calido sicco extrahente humidum, iuxta prius determinata.

Ad hoc respondet philosophus in textu quarto ibi. (Sed nos videmus, &c.) Cuius intentionem extendit Albertus magnus in tracta. secundo capitulo vndecimo ibi. (Ambiguissime enim se habet, &c.) Illic declarat, quomodo impingatur, & ingrossatur, frigido & etiam calido, quomodo non potest vere elixari, nec vere coagulari eo quod aerium humidum, non est euaporabile propter viscositatem olei nec potest comprimi in centro, quasi relinquens exteriores partes siccas. Vide eū, & conare te ipsum resolvere.

Secundum Dubium est, quia diximus in quinta conclusionem, quod aliqua coagulantur primo calido, deinde completur, coagulatione per frigidum, & sunt insolubilia, quæritur si aliquid potest coagulari, primo frigido, deinde compleri sua coagulatione per calidum.

Ad hoc respondet Albertus in tract. 2. c. 17. ibi. (Dico autem ad hæc oia) & declarat, quod hoc est impossibile. Nam omne coagulatum frigido fit per compressionem humidum. Adueniente autem calido, disgregat humidum, & fit solutio, qñ autem aliquid coagulat calido, fit per extractionem humidum, & si aliquid humidum remanet, dispersum potest comprimi per frigidum, vnde nõ inuenitur coagulationem perfici à frigido, quæ fuit inchoata à calido.

Tertium Dubium est, De quibusdam lapidibus præ-

ciosis, vt cristallus & berillus, quæ à solo frigido congelantur, quare non soluuntur, & liquantur per ingentem ignem, sicut ferrum, cum in eis remaneat humidum compressum sicut in glacie. Non enim est de cristallo, sicut de aliis lapidibus. Illi enim à prædominio sunt terra, & coagulantur per calidum siccum extrahens totum humidum, sicut decoquitur later in fornace: Cristallus autem est aqua à prædominio, quare ergo fit insolubile cum suum humidum remaneat.

Ad hoc respondet Albertus magnus in tract. 2. ca. 16. ibi. (lapides enim perspicui, &c.) Vsq̄ ibi. (Nos autem de talibus,) & solutio stat in hoc, licet remaneat humidum compressum in centro, tamen calor extrinsecus, non habet ingressum ad ipsum, propter maximam constrictionem pororum, quæ proueniunt ex intensissimo frigore, congelante humidum aqueum. Vide eum.

Quartum dubium est, cum ligna videantur esse communitè ex terra & aqua, sed ex prædominio sunt terra, & ex consequenti secundum præhabita, coagulantur à calido quare sunt insolubilia, ita quod non possunt liquari nec dissolui, nec à calido nec à frigido. Non enim potest dici, quod ideo est, quia suum totum humidum extrahitur sicut in latere cocto, nec quia suum humidum totum comprimitur in centro, sicut in metallis, patet enim humidum esse respersum in omnibus partibus ligni.

Ad hoc respondet Albertus in tract. 2. c. 17. quod ideo est, quia solubile, est aqua, vel communiter aqua & terra, lignum autem communiter est terra & aer, aliter non esset nutrimentum ignis, humidum enim aqueum, extinguit ignem, aerem autem nutrit, vt patet in oleo, &c. Vide totum capitulum, illic inuenies. vnde est, quod eum communiter ligna supernatent aquam ebanus nigra, & quercus diu manens sub aqua, mergitur & de triplici virtute humiditatis aerei, quam habet in diuersis speciebus lignorum, licet sit idem secundum substantiam & simplex.

Q V A E S T I O X X V I I.

Quæ sunt coagulabilia, & incoagulabilia, & quæ liquabilia, & quæ illiquabilia.

De coagulabili quidem igitur, & incoagulabili, & liquabili, & illiquabili. Textu 42.

Aduerte, quod philosophus in hoc text. incipit tertium tract. quarti Methæo. qui in hoc distinguitur à præcedenti, quod in præcedenti actum est de impressionibus causatis à qualitibus passiuis in mixtis, sicut ex durities mollicies congelatio coagulatio solutio impingatio &c. In hoc autem tertio vult declarare quæ sint mixta subiecta his impressionibus, & per quas differunt ab inuicem, nam mixta tripliciter differunt ab inuicem, primo per formas substantiales, secundo per variam complexionem primarum qualitatum prout à prædominio quædam sunt calida, quædam frigida, quædam aerea: tertio differunt prædictis impressionibus causatis materialiter à qualitibus passiuis, effectiue autem à qualitibus actiuis, prout quædam sunt coagulabilia, quædam non, quædam liquabilia, & quædam non. vnde dicit philosophus in textu 42. (plurima quidem igitur fere corporum his differunt passionibus.)

Igitur primo declarabimus de coagulabili secundo de liquabili. Tertio de incoagulabili. De coagulabili ponitur hæc dist. Coagulatorum, quædam sunt materialiter aqua aut aquæ species, sicut metallum, quædam sunt materialiter terra, vt later sal, nitrum. Quæ sunt materialiter aqua, coagulantur absentia calidi, & præsentia frigidi, quæ sunt materialiter terra coagulantur præsentia calidi, vt sal, ex quibus sequitur corollarie, quod omnia coagulata frigido, sunt essentialiter humida, quæ autem sunt coagulata calido sunt essentialiter sicca. Item aduerte, quod quæ coagulantur calido, coagulantur per extractionem humiditatis, quæ autem coagulantur frigido, coagulantur, per fugam calidi, & compressionem humiditatis in centro, & id insinuat philosophus in text. 42. ibi. (A calido quidem deficcante humidum, à frigido autem exprimitur calidum, &c.) & de his omnibus plenam resolutionem inuenies in Alberto magno in tract. 3. c. primo. ibi. (Dicimus autem primo.)

De liquabili, pono hanc dist. cum liquatio supponit coagulationem vel congelationem, quam etiam possumus dicere coagulationem. Omne liquabile vel coagulatur absentia humiditatis, vel præsentia humiditatis id est, stante humido. Si absentia humiditatis id est, quia humidum extrahitur, liquatur

præsentia humiditatis, sicut terra exsiccata si infunditur aquæ, & sal, & nitrum. Si præsentia humiditatis id est, ex eo, quod humidum comprimitur per absentiam calidi, & præsentiam frigidi, liquantur præsentia calidi, vt cera, & metalla. Aduerte tamen, quod duabus causis, aliquod liquabile ex natura sua, non liquatur aliquo accidente scilicet ex constrictione pororum, vt in latere cocto, & in lapide, vel ex destructione pororum, propter intensissimum frigus, ita, quod calor extrinsecus, non habet ingressum ad centrum vt inde moueatur humidum, & propter hoc cristallus vt diximus supra, qui in quantum glacies liquabilis est, remanet illiquatus, & potius aduritur. Et hæc omnia vide in Alberto in tract. 2. c. 1. ibi. (de liquatione.)

De incoagulabili pono hanc distinctionem. Quoddam est incoagulabile ex natura sua, quoddam ex accidente. incoagulabile ex natura dupliciter, vel quia nullum habent humidum, præter continuatum, sicut lapis. Vel quia si habent multum humidum, illud est aerium, quod non patitur coagulationem, vt diximus supra de oleo, licet enim aerium humidum possit impingationis, & inspissationis esse causa, non tamen coagulationis, vt diximus.

In coagulabile per accidens est, illud quod habet multum humidum aqueum, sed adiunctum cum multo calido, & multo terreo, vt in musto, & in melle. Sed quare calidum prohibeat aqueum, & terreum coagulari in musto, & in melle, aliter tamen & aliter. Vide Albertum, in tract. 3. ca. 2. ibi. (Illa enim quæ nihil habent humoris, &c.)

Sed dubium est de argento viuo, de quo videtur dicere philosophus in text. 43. ibi. (Sunt autem plus aeris, &c.) quod non coagulabile est sicut oleum, & tamen constat quod per alchimicos congelatur, & induratur, ergo, &c.

Ad hoc communiter dicitur, quod philosophus hic loquitur de eo quod est coagulabile, vel incoagulabile, secundum seipsum, per separationem humiditatis, vel compressionem, non autem de eo, quod coagulatur, per immersionem alicuius extrinseci sicci sicut induratur pasta, per immersionem nouæ farinæ. Dico ergo quod philosophus, intelligit argentum viuum esse incoagulabile per seipsum. Alchimici autem coagulant per admixtionem sulphuris, quod est coagulatio impropria.

Aduerte tamen, quod Albertus in tract. 3. c. 2. ibi. (Dicitur etiam quod si in fornace ardenti) ponit modum, quomodo potest coagulari per separationem humiditatis propriæ, factam per ligna corilli ardentia in fornace. Sed id an sit veram solam experientiam esset comprobandum. Verum dato, quod sic coagulatur, dicit Albertus, quod erit impropria, eo quod coagulabile proprie est illud, quod ante & post coagulationem, est eiusdem speciei. Si autem sic coaguletur, arg. vi. non remanet eiusdem speciei. Sed hoc est declarandum in mineralibus scilicet, an per artem, una species possit transmutari in aliam speciem.

Q V A E S T I O X X V I I I.

De Mollificabili, & immollificabili.

Mollificabilia autem sunt, coagulatorum, quæcunque non ex aqua. Text. 43.

Circa hunc textum philosophus ponit condiciones, quæ requiruntur, ad hoc quod aliquid sit mollificabile, licet enim omne mollificabile sit coagulatum, non tamen omne coagulatum est mollificabile sicut patet in sale, vnde coagulatum abstrahit à mollificabili, & à liquabili.

Dico igitur primo condiciones requisitas in mollificabili, & suæ oppositæ reddent immollificabile, secundo mouebo duo dubia.

Quantum ad 1. Vide Albertum in tract. 3. ca. 3. vbi ponit sex condiciones, eius quod est vere & per se, & per suum proprium humidum mollificabile, & est satis resolutus.

Quantum ad dubia. Dubitatur primo, Vtrum omne liquabile, sit mollificabile: & licet philosophus teneat quod non, quia sal liquabile est, non tamen mollificabile, tamen videtur, quod sic. Quia ab extremo ad extremum non est motus, nisi prius perueniatur ad medium, sed mollicies videtur esse medium inter coagulatum, & liquatum. Antequam. n. coagulatum liquetur mollificatur, vt patet in cera.

Ad hoc dicitur, quod mollicies non est medium per se inter hæc duo, sed quasi accidentale. Maior autem non est vera, nisi de medio per se, & quod sit medium per accidens patet, quia. Si coagulatum antequam liquetur deberet molli-

ficari esset necesse, quod secundum omnes suas partes simul mollificaretur, sic enim fit mollificatio. Sed hoc non apparet in omni liquabili, imo quod liquatur, paulatim liquatur, & incipit liquatio à partibus superficialibus, adhuc existentibus duris partibus intrinsecis, ut patet dum liquatur glacies.

Dubitatur secundo, circa illud, quod dicit philosophus in tex. 43. quando dicit, quod mollificabile debet habere humidum, non irregulariter, sicut habet later, & ideo est immollificabile, quomodo hoc sit verum, nam si intelligit de latere crudo, vel dum actu coquitur in fornace falsum est, quod sit immollificabile, nam philosophus dixit supra in tex. 37. (Quemadmodum, & later primo dum affatur, vaporat & mollior fit.) Si autem intelligat, postquam decoctus est, habet humidum solum continuatum: coagulatum enim est separatione humidi, & euaporatione, quomodo ergo habet humidum irregulariter.

Hic inuenio duas responsiones, prima est Alberti magni, in tract. 3. c. tertio qui dicit, quod ideo later habet humidum irregulare, quia est magis siccus, quam humidus, & inuit, quod loquitur de latere cocto. Dicit enim quod habet siccum strictioribus poris, quam in quibus solutum possit diffundi humidum, constat autem quod ante decoctionem non habet ita strictos, poros, aliter positus in fornace non mollificaretur, quod est contra philosophum. Dicendum ergo secundum Albertum, quod licet decoquatur & coaguletur, separatione humidi, non tamen totum humidum euaporat sicut nec in affatione, sed quia partes extrinsecæ plurimum constringuntur, & commassantur calore affante, ideo adeo constringuntur pori, quod iterum calefacti quantumcunque, non potest mouere illud humidum concentratum, ita quod diffundat se per omnes partes, & sic mollescat.

Secunda opinio, est Petri Aluerniæ, quam etiam ponit Gaetan. exponens hunc text. Dicunt ergo isti, quod dictum philosophi, non est intelligendum, de humido irregulariter resoluto vel euaporato, sed quia habet poros irregulariter positos, & disproportionatos humido recipiendo, ad mollificationem requisit. Vide & tene quem volueris, secunda tamen videtur melior, eo quod ut supra docuimus, coagulatione fit per compressionem humidi in centro est à frigido & non à calido, later autem coagulatur calido.

Dubitatur tertio. Si mollificatio fiat tantum vno modo, videtur enim, quod non, nam aliter mollificatur cera, quæ cedit tactui, aliter cornu, calefactum, aliter lignum viride, cum ponitur ad ignem.

Ad hoc respondet Albertus magnus tract. 3. ca. 3. ibi. (Cum enim mollicies causetur.) Illic inuenies, quod ad perfectam mollificationem duo requiruntur, primo quod humidum intrinsecum compressum, soluat à calido: & defluat per poros & partes siccas, secundo quod defluat usque ad superficiem extrinsecam. Tunc enim cedit tangenti, & hoc modo mollificatur cera, & pasta & Guma, &c. Ad mollificationem autem imperfectam, sufficit prima conditio, & sic cornu & lignum viride, dicuntur imperfectè mollificari non enim cedunt tangenti. unde aduerte quod quando philosophus supra, locutus est de duricie & mollicie, intellexit tantum de mollicie, perfecte dicta. Diffiniuit enim eam, per hoc, quod est cedere tangenti.

Q V A E S T I O X X I X.

De madefactibili & immafactibili, quid sint, & quibus competant.

Sunt autem liquabilia, & illiquabilia hæc quidem intingibilia, hæc autem non intingibilia velut as. Text. 43.

Circa hunc textum faciam tria, primo quid sint, secundo, & quibus conueniant, tertio mouebo Dubi.

Circa 1. aduerte, quod ad vere & perfectè madefactibile, requiritur quod recipiat humidum alienum, in profundo, in omnibus poris suis, & in superficie exteriori, ex quo sequitur quod omne tale sit vere humidum & post humectationem fit lenius ad tactum, & mollescit. Sic ergo diffiniatur Madefactibile est mixtum receptiuum, alieni humidi in poris suis in profundo in superficie coniunctum, & efficitur, lenius ad tactum. Dixi coniunctum, quoniam si aliquid recipiat humidum alienum solum in superficie, non propter hoc dicitur madefactum, sed potest dici humidum sicut metallum, & lapis.

Iauel. Tom. iij.

Immafactibile autem quid sit, patet si diffinieris eisdem terminis, quibus diffinimus suum oppositum modo sumantur negatiue. De his vide Albertum in tract. tertio capitulo quarto in principio.

Circa 2. quibus competant, dico primo in genere, secundo in specie. Dico in genere, quod ea madefactibilia sunt, quæ sunt materiæ terrestres, & habent poros maiores spatiis aquæ, in quibus possunt recipere aquam, & sunt dura, ante receptionem aquæ, vel saltem minus lenes secundum tactum. & tamen non corrumpuntur, ex hoc quod recipiunt aquam in seipsis, ex opposito, quæ sunt materiæ aqueæ, non sunt madefactibilia, & quæ habent poros strictissimos, & quæ corrumpuntur ad tactum aquæ, vel alterius liquoris.

Dico autem in specie, quod terra madefit, & lana, & fructus, eo quod terrestres sunt à prædominio, & amplos habent poros, nec partes maxime coherent, Sal autem & nitrum non madefit, eo quod ex ingressu aquæ corrumpitur. De his vide Albertum in eodem capitulo.

Sed contra illud quod dictum est, quod metallum non madefit, quia non recipit humidum alienum in profundo, est dubium. Nam experientia patet, quod si teneatur argentum per aliquod tempus in loco humido, est maioris ponderis, quam ante, ergo recipit humidum non solum in superficie.

Ad hoc respondet Albertus in fine capit. & intendit quod non madefit perfectè, omne enim tale, recipit tantum humidum, quod est sufficiens mollificare terreum. Dico ergo quod licet metallum, recipiat ex longa mora aliquantulum humidi in poris, tamen non dicitur madefactibile, quia per tale humidum non mollescit, secundum tactum, & præterea, non est concedendum, quod recipiat humidum, in omnibus poris usque, ad centrum, sed in poris propinquis superficie exteriori. Hoc non occurrunt difficultia.

Q V A E S T I O X X X.

De curuabili, & incuruabili siue de flexibili, & in flexibili dirigibili, & indirigibili, quid sint, cuius materiæ sint.

Sunt autem, & hæc quidem corporum flexibilia & dirigibilia Text. 44.

Circa hunc textum dicam tria, primo quid sint, secundo ex qua qualitate passiuæ prouenit, quod hoc est curuabile, hoc autem non, tertio mouebo quædam dubia.

Circa 1. dico, quod curuabile vel flexibile vel lentum. (pro eodem enim accipiuntur) est corpus, cuius longitudo potest permutari ex rectitudine in obliquitatem sine omnem differentiam localem ad libitum curuantis, & e contrario, sine discontinuatione quantitatis. Incuruabile autem est opposito modo, præcipue quando non potest curuari aliquo modo, quin discontinuetur longitudo ut lapis, & later, &c. Hanc diffinitionem extraho ex te. 44. Sed Alb. mag. eam profequitur in tract. 3. ca. 5. Verum quia curuabile dicitur à curuatione, & flexibile à flexione, & rectificabile, i. dirigibile à directione, ideo Philosophus in eodem text. ibi (Qui quidem igitur, ad conuexitatem) diffinit virtualiter hos motus. Tu vero sic diffinies. Curuatio vel flexio est motus à rectitudine ad curuitatem siue conuexam siue concuam. Directio autem, est motus à curuitate ad rectitudinē. Tu tamen aduerte quod Albertus non diffinit curuationē, nec Philosophus, per ter. à quo, sed tantum per terminum ad quem quoniam ter. à quo est interminatus. Sicut enim dealbatio potest incipere ab extremo, quod est nigrum aut rubeum, &c. sic curuatio potest incipere ab eo quod est rectum, vel ab eo quod iam declinat à recto, ideo non posuit ter. à quo.

Circa 2. scilicet à qua qualitate passiuæ proueniant, Philosophus quasi manifestum habens, non exposuit, patet. n. quod aliquid est curuabile à prædominio humidi, præcipue subtilis. Incuruabile. n. redditur propter desiccationem humidi, ut patet in ligno arefacto, & in latere cocto, unde quando sunt in fornace, & per ignem dissoluitur suum humidum, incuruati inueniuntur. Sed hoc erit magis manifestum in quæstio. sequenti.

Circa 3. Dico quod duo contra prædicta, insurgit dubia, primū contra diffinitionē curuationis. Dicitur est. n. quod est motus ad curuū. Contra suppono quod aliquid incipiat curuari, à conuexo ad concuam, ita quod superficies, quæ exterior erat conuexa, fiat concua, hoc supposito arguo sic. Ab extremo ad extremum, non est motus nisi prius ad me-

b 2 dium,

dium, sed inter conuexum & concauum, mediat rectum, ergo non est curuatio talis, motus ad curuum, nisi prius fiat ad rectum, imo rectum erit primus, & proximior terminos.

Ad hoc respondet Albertus in tract. 3. cap. 5. ibi. (Sed ad hoc dicendum, quod motus non)

Tu tamen potes, respondere, quod & si prius perueniatur ad rectum, quam ad curuum non tamen debet diffiniri per rectum: quoniam rectum non est de vltima & principali intentione curuantis. imo accedit ei. vnde quando mouetur aqua à frigiditate, ad caliditatem calefactio non debet dici, motus ad tepiditatem, licet prius acquiratur tepiditas, quam intentus calor, eo quod tepiditas non est principaliter intenta à calefaciente.

Secundo dubitatur, quia non videtur philosophus dedisse plenam doctrinam, de curuabili & incuruabili, & dirigibili. vt declarat Albertus, in eodem ca. ibi (Adhuc autem non omnis diuersitas, &c.) & tu si melius inueneris tene. Sin autem. Sequere rationes Nicolai peripatetici, quas illic ad ducit Albertus, licet non multum sint euidentis.

Q V A E S T I O X X X I.

De frangibili, & comminibili.

Et hæc quidem frangibilia, & comminibilia simul. Text. 44.

Circa hunc textum, vt resolutionem habeas dico quatuor primo. Quid sit fractio & comminutio, ex his denominatur frangibile & comminibile. Secundò cuius materiæ sint. Tertio Dato quod in materia communi carent, quare aliquid est frangibile & non comminibile, aliquid comminibile, & non frangibile. Aliquid autem est vtunque. Quarto mouebo dubium.

Circa Primum aduerte, quod philosophus in textu. 44. ibi. (Differt autem quia, &c.) diffinit vtunque. Sed clarius Albertus in tractatu tertio capitulo sexto ibi, (fractio autem differt) & tu diffinit comminutionem, sicut ipse diffinit, secundum modum vsitatum loquendi, ita quod sit diuisio in minutissimas partes, quæ alio nomine dicitur, contritio, & sic proprie differt à fractione.

Circa Secundum scilicet, cuius materiæ sint, dico cum Alberto & Philosopho in eodem text. quod sunt materiæ sicca & coagulata, siue sint coagulata consumptione siccitatis, siue cõpressionem humiditatis, vt metallum, ex quo sequitur quod nullum siccum cuius humidum sit solutum & ex consequenti mollificatum, est frangibile vel comminibile sed bene flexibile & dirigibile, vt diximus in quæstione præcedenti.

Circa Tertium scilicet, dato quod frangibile & comminibile conueniant in materia scilicet, in sicco coagulato, quare omne frangibile, non est comminibile, & econtra. Ad hoc respondet philosophus in eodem text. ibi, (& multos habent vicissitudinatos) & resolutio stat in hoc, quæ habent poros spissos, & paruos, sunt comminibilia id est, in paruas partes diuisibilia. Vsque enim ad hoc id est, ad partes paruas pertingit eorum diuisio. Sic glacies est comminibilis, quæ vero habent poros magnos, & distantes, sunt frangibilia, vt lignum, quæ vero habent poros magnos, & distantes, & iterum poros paruos & spissos sunt frangibilia, & comminibilia, vt later.

Sed contra prædicta sunt duo dubia, primo quia dicit philosophus, lignum esse frangibile, sed non comminibile, hoc patet falsum. nam multa ligna, vt sandali & cinamomum, & lignum aloes puluerizantur, ergo comminuntur.

Ad hoc dico quod dictum philosophi, debet intelligi, de ligno lento vel flexibili, quod quidem quandiu humidum est, nec est bene frangibile, nullo autem modo minuibile. Si autem lignum sit valde siccum, & porosum dico, quod non inconuenit, tale esse frangibile, & comminibile. Iudicatur enim de eo, sicut de latere, & quoniam lignum cinamomi & aloes valde exsiccata sunt, ideo comminibilia.

Secundum Dubium est, quia dicit philosophus, quod glacies est comminibilis, contra omne comminibile & siccum coagularum, sed glacies non est sicca, cum sit aqua. ergo, &c.

Ad hoc responde sicut Albertus magnus, in tract. 3. ca. 6. ibi, (fortassis, &c.) Eandem rationem potes reddere, quare vitrum, & cristallus est comminibilis.

Q V A E S T I O X X X I I.

De impressibili, & formabili, & capibili, & de suis oppositis.

Et hæc quidem impressibilia velut as & cara, hæc autem non impressibilia. Text. 45.

Philosophus in toto text. 45. & 46. agit de impressibili, quod Albertus vocat, pulsui cedens, & formabili, quod nos dicimus figurabile, & capibili, quod Albertus vocat apprehensibile. Inter hæc talis est ordo, quod impressibile est prius, omne enim formabile, & capibile est impressibile, nisi enim cederet pulsui, non figuraretur, nec caperetur, per constrictionem, in seipso. Non autem omne impressibile, est figurabile, nec capibile, vt declarabitur. Igitur recto ordine, de impressibili, secundo de formabili tertio de capibili agendum est.

Quantum ad impressibile dico duo. primo quid sit. Secundo cuius materiæ sit, & ex suis oppositis, patebit quid sit non impressibile.

Circa primum, dico, quod ex philosopho, & ex Alberto in 3. tract. cap. 7. sic diffinitur Corpus impressibile est illud, quod secundum partem, vel secundum totum, in sui profundum cedit pulsui, vel leuiter vt cera mollis, vel difficulter vt metallum cedens malleo fortiter percutienti, & non circumfluit ipsum impellens, vt liquida & fluida. Tota hæc diffinitio declaratur ab Alberto in eodem capitulo. ibi (Est autem pulsui cesso, &c.) Ex oppositis potest esse tibi manifestum, quid sit non impressibile.

Circa 2. scilicet materiæ sit. Dico quod debent esse à prædominio humida secundum essentiam, non quidem secundum actum: nam si sunt à prædominio sicca, vt lapis & later, non cedunt pulsui stante sua continuitate, sed disconti nuantur per fractionem vel comminutionem. Similiter non est necesse quod sint à prædominio sub actu humiditatis. Videmus enim metalla etiam non mollificata, cedere malleo, & extendi. Sufficit ergo quod sint mollia vel mollificabilia, & cum mollificatio sit ex victoria humiditatis super siccum, necesse est omne impressibile esse humidum secundum essentiam, necesse est etiam ne sint actu fluida, nec liquata, tunc enim se habent vt aqua, quæ quoniam circumfluit impellens, & sua continuitas diuiditur dum impellens ingreditur, eam, non dicitur impressibilis.

De formabili autem, & informabili, non occurrit aliquod difficile, nec in textu philosophi, nec in Alberto videtur eum in tract. 3. c. 8. per totum.

De capibili, quod appellat Albertus apprehensibile, nos autem possumus dicere constringibile vel compressibile, sicut spongia inter manus comprimitur, philosophus duo dicit, primo quid sit, secundo quæ sit causa eius, & sui oppositi.

Sic diffinitur ex philosopho, in text. 46. Capibile est corpus, quod pulsus in seipso cõuenit in profundo id est, omnes partes coheret & se tangunt, superficie mutata secundum situm, non tamen diuisa, nec vna parte diuisa aut translata ab alia, sicut contingit in aqua, & in omni fluido, quod si inter manus comprimatur non vniuntur partes, sed hinc inde resiliunt. Diffinitio hæc non indiget declaratione, videtur enim per se clara ad sensum, & Albertus in tract. 3. c. 9. magis inuoluit quam declarat.

Quæ autem sit causa huius compressionis, dicit philosophus in text. 46. ibi (Capiuntur autem) quod sunt pori vacui, non quidem simpliciter, quia vacuum non datur, sed vacui, i. non pleni connati corporis, i. consimilis corporis, vel si sunt pleni, sunt pleni melioris corporis, quod per cõpressionem de facili exprimitur v.g. spongia est compressibilis, quia magnos poros habet, qui non sunt repleti partibus spongiæ. Si autem sint pleni molliori corpore, vt aere vel aliquo liquido, propter, hoc non impeditur compressio, quoniam tale corpus facili exprimitur. Si autem pori spongiæ implerentur corpore sicco, puta granis arenæ fieret incompressibilis, quoniam per tale siccum impediretur conuenientia, & contractus partium spongiæ.

Ex his patet, quæ sit causa non compressionis. Nam secundum philosophum in text. 47. ibi (non capibilia autem) duæ sunt causæ, prima, quia aliqua non habent poros, vt aqua, secunda quia si habent poros, habent plenos corpore duro, vt in ferro & lapide & metallis, &c. Ideo dicendum non capibilia. Circa hæc non inuenio difficultatem.

Q V A E S T I O X X X I I I.

De trahibili, & ductili, & de suis oppositis.

Trahibilia autem sunt, quorumcunque potest, ad latus transferri superficies. Text. 47.

Circa

Circa hunc textum primo loquimur de trahibili, secundo de ductili. Circa trahibile dico tria, primo quid sit tractus, à quo trahibile dicitur, secundo quid est trahibile & suum oppositum, tertio cuius materiae est trahibile & suum oppositum.

Circa 1. aduerte, quod tractus dupliciter sumitur, primo pro motu totius corporis ad ipsum trahens, & sic non consideratur hic, sed in 7. phys. ubi sic diffinitur. Tractus est cum ad ipsum trahens vel ad alterum velocius sit motus trahentis, non separati ab eo quod trahitur, secundo pro motu non totius corporis de loco ad locum sed pro motu eius secundum alterum extremum, altero remanente immobili, aut secundum utrumque extremum ad differentias loci oppositas, & sic consideratur hic, & hanc distinctionem innuit Albertus in tract. 3. c. 10. ibi, (Tractus autem ut hic dicitur.)

Circa 2. f. quid sit trahibile, quod nos extensibile dicere possumus, philosophus diffinit in tex. sic. trahibile est illud, cuius superficies existens continua, potest transferri & extendi in omnem differentiam loci, ut declarat Albertus ibidem. Intrahibile autem diffiniatur per conditiones oppositas.

Circa 3. autem f. cuius materiae sint dico, secundum Albertum in eodem c. ibi (quorumcunque generatio est ex humiditate, &c.) quod causa trahibilitatis est humidum viscosum non desiccatum, adiunctum tamen sicco, nam in tractatione tria sunt. primo est continuatio partium, & haec seruatur propter viscositatem colligantem partes, secundum est extensio ad unam differentiam loci vel ad duas oppositas, ad hoc causatur ab humido, cuius proprium est extendi ad alienum terminum, tertium est redditus ad pristinum situm, ut patet quando trahitur corrigia, quae sibi dimissa reuertitur ad se, & hoc causatur à sicco, cuius est terminari proprio termino, & ideo trahibile post tractum, ad terminum proprium precedentem reuertitur, nisi per violentiam detineatur. Intrahibilia autem sunt, aut liquida, eo quod de facili eorum superficies discontinuatur aut sicca & dura, eo quod sicca, non extenditur ad terminum alienum.

De Ductili & suo opposito dico tria, primo quomodo conuenit cum trahibili, & quomodo differt, secundo quid sit & suum oppositum. tertio cuius materiae sit. Deinde mouebo dubium.

Circa 1. Dico quod conuenit cum eo in hoc, quod est extensibile extra se secundum aliquam differentiam localem, praecipue secundum latus ut dicemus. Differt autem in hoc quod extensum non reuertitur ad locum vel situm primum, ut patet quando malleo dilatur ferrum.

Circa 2. quod sit, philosophus in tex. 47. ibi. (Sunt autem ductilia) diffinit, Sed tu forma diffinitionem sicut Albertus in tract. 3. c. 11. in principio, & declara sicut ipse, cuius declaratio ad sensum patet. Suum autem oppositum, diffinit per conditiones oppositas. Sicut etiam diffinit ibidem philosophus, & Albertus in fine illius capituli ibi. (Non ductilia, &c.)

Circa 3. f. cuius materiae sit, dico quod est humidum, Nam nihil ductile nisi sit molle simpliciter, aut in respectu, propter quod videmus fabros mollificare ferrum, per ignem ut sit bene ductibile. Causa autem molliciei est humidum, ergo omnia ductilia debent esse humida, ex opposito, inductile est sicca, & durum ut lapis, vel est humidum non coeans, sicut in aquae speciebus, ut vinum, vrina, &c.

Sed contra diffinitionem ductilis datam ab Aristotele, est dubium, nam diffinit ductile per hoc quod est cedere in latus, & in profundum, & tamen constat, quod etiam cedit in longum, ut cum fabri extendunt virgam ferream multis plagis, id est, multis percussionibus.

Ad hoc respondet Albertus in tract. 3. c. 11. ibi. (Si autem aliquis obiiciat, &c.) & intendit, quod cedere in latus, & in profundum, est de per se in ductione, cedere autem in longum est per accidens, quia non semper hoc contingit, nisi ex proposito fabri, & industria. Vnde si vult extendere in longum est necesse, quod una percussione vel pluribus restringat latitudinem, & alius percussionibus extendat in longitudinem, Absque autem quod abreuiet longitudinem, semper extendit in latitudinem, & ideo quia ea quae sunt per accidens non ingrediuntur diffinitionem, propterea ductile non fuit diffinitum, procedere in longitudinem.

Q V A E S T I O X X X I I I I.

De scissibili, & proportionatino, & troncabili, & suis oppositis.

Iauel. Tom. iij.

Sunt autem haec quidem scissilia velut lignum, haec autem non, ut later Textu 47.

Circa hunc textum philosophus agit de scissibili, & troncabili, sed Albertus inter utrumque ponit portionatium. De his ergo dicam tria.

Primo quomodo differunt: Secundo cuius materiae sint. Tertio mouebo dubium.

Circa 1. aduerte, quod haec tria conueniunt in hoc, quod est esse diuisibile in partes quantitativas. Sed haec diuisio potest fieri secundum longitudinem & secundum latitudinem. Si secundum longitudinem, dupliciter, quia autem fit maior, quam diuidens intendat, puta si intendo diuidere lignum, per unum cubitum & diuidatur per duos, & talis diuisio dicitur à philosopho Scissio. Si autem fiat diuisio in longi. secundum intentionem diuidentis praecise, & non potest fieri maior ex natura rei diuisibilis, sic dicitur ab Altero portionatio, & haec apparet, dum diuiditur lignum valde viscosum, quod ex sua tenacitate resistit diuidenti. Si vero fiat diuisio secundum latitudinem, sic dicitur de truncatio. Ex differentia hac assignata constabit tibi diffinitio scissibilis, & sui oppositi, quam adducit philosophus in tex. 47. ibi. (Est autem scissibile, &c.) Quam declarat Albertus in 3. tract. ca. 12. per totum. Similiter quid sit portionatium, diffinit Albertus in c. 13. ibi (portionatium quasi medium, &c.) Similiter quid sit troncabile, ut distinguuntur contra scissibile, diffinit Albertus in ca. 14. ibi. Scissibilia dicuntur, quaecunque unum continuum &c.) licet enim idem possit esse scissibile & troncabile, non tamen eadem ratione.

Circa 2. f. cuius materiae sint dico quod conueniunt in uno, sed differunt in duobus. Conueniunt in hoc quod non debent esse actu mollia: sed dura. Si enim sint actu mollia, ut cera, scissilia non sunt. Differunt autem scissibile à portionatium, quoniam portionatium est substantiae viscosae. Scissibile autem non viscosum, sed rarae substantiae, & plenum aere in poris suis. Differunt etiam. Scissibile & portionatium, à troncabili, in positione pororum. Nam Scissibilia habent poros ordinatos in longitudinem positos, per quos spiritus deferens nutrimentum decurrit, & hoc declarat Albertus in c. 13. ibi. (Talia autem sunt, quaecunque habent,) similiter portionatium, habent poros sic dispositos, sed quoniam sunt densioris substantiae, vel viscosae, ideo non sunt scissibilia. Detroncabilia autem ut sic, habent poros dispositos secundum latitudinem. Quae autem habent poros distortos, & inordinatos, ut lapis vel later, vel glacies: sunt frangibilia vel comminibilia ut diximus supra, & aduerte quod troncabile appellat Albertus diuisibile, in ca. 14. quia sic forte sonabat translatio quam habebat.

Q V A E S T I O X X X V.

De viscosis, & de commassabilibus, & suis oppositis.

Viscosum autem est, quando trahibile aut humidum existens molle fuerit. Textu 47.]

Circa hunc textum, primo videndum est de viscoso. Secundo de commassabili & suo opposito. Circa viscosum dico tria, primo quid sit, secundo cuius materiae sit, tertio à quo generatur. Viscosum à Philosopho & Alberto in tract. 3. c. 15. elicitiue sic diffinitur, viscosum est corpus trahibile existens humidum & molle. Trahibile autem ut diximus supra est cuius partes humidae & siccae coniacent sibi mutuo: quadam concatenatione. Talia enim ut dicit Albertus in eodem c. propter humidum possunt multum extendi, &c. Vide eum ibi. (taliam enim omnia) vsque ibi. (Quaecunque autem humida, &c.) Non viscosum autem: per conditiones oppositas diffiniendum est.

Viscosum est materiae humidae: & siccae: sed à praedominio humidae, cum sint actu mollia. Non viscosa autem sunt, simpliciter humida ut aqua: & fluida, aut simpliciter dura & sicca, sicut lapis.

Viscositas causatur: & à calido, & à frigido: sed diuersa ratione. A calido enim est per subtiliationem sicci: quod optime commiscet humido, sicut in oleo, & pice. A frigido autem per vehementem pressionem humidi in sicco,

sicut in flegmate: & de hoc vide Albertum in c. 15. ibi. (Et generatio quidem viscosi.)

De commassabili: & suo opposito, nullum difficile occurrit, Omne enim commassabile est capibile: sed aliquid addit sicut homo ad animal. Nam si capibile post compressionem, retinet compressionem sicut cera: & lutum: dicitur commassabile. & Albertus in c. 16. appellat infiltrabile. Si autem non retinet: sed ad priorem situm reuertitur, dicitur incommassabile ut lana: & spongia, & panis crudus vehementer leuatus: & Albertus in eodem ca. appellat filtrabile. Ex his patet: quod commassabile non differt à capibili formabili, & incommassabile: non differt à capibili informabili. Qualiter autem hoc capitulum differat à capitulo de capibili, declarat Albertus in fine capituli decimi sexti. Tu tamen potes dicere: quod differt sicut capitulum de genere, & capitulum de specie. Sunt enim commassabile & incommassabile sicut duæ species capibilis.

Q V A E S T I O X X X V I.

De vstibili, & euaporatiuo & inflammabili & de suis oppositis.

Et hæc quidē vstibilia sunt, hæc autem inustibilia. Tex. 48.

Philosophus in hoc text. agit de vstibili. & euaporatiuo, & inflammabili, & primo de vstibili, quoniam vstio est causa exhalationis, & exhalatio est causa inflammationis.

De vstibili autem dico duo, per quæ cognoscetur etiam suum oppositum. primo quid sit. secundo cuius materiz sit. Tertio vnde prouenit facilis vel difficilis vstio.

Circa 1. quid sit. Vide philosophum ibi. (Sunt autem vstibilia,) & formabis talem diffinitionem. Vstibile est illud quod per ignem redigibile est in cineres, eo quod habet poros susceptiuos ignis, in quibus est humor vincibilis ab igne. Dicitur redigibile in cineres, quoniam quædam sunt consumptibilia ab igne, & resolubilia ut lapis & ferrum, quæ tamen non dicuntur vstibilia. Dicitur eo quod habet poros &c. quia si habet poros strictissimos vel forte non habet, ut cristallus, & aqua, non sunt combustibilia. Dicitur In quibus est humor, &c. humor est aqueus & aereus. Aqueus non facit combustibile, imo impedit, ut in glacie, & in metallo, & in omni viridi vegetabili, nisi forte sit adiunctus humori vntuoso terrestri. Sicut est in arboribus, quæ lacrimant & faciunt gumas, sicut abies & pinus. illud enim vntuosum terrestre est pabulum ignis, & ideo talia ligna viridia ardent, non ratione humoris aquei, sed vntuosi, humor autem aereus, facit combustibile quasi fomentum ignis, & de hoc humore intelligitur in diffinitione.

Circa 2. cuius materiz sit philosophus in tex. 48. (vstibilia autem videntur, &c. Dicit quod omne vstibile est coagulatum calido tantum, vel calido & frigido, non autem à frigido tantum, ex quibus sequitur, quod cum omne coagulatum includat humidum, & siccum, purum humidum ut aqua, nec purum siccum ut terra est vstibilis, item cum glacies & metalla coagulentur à puro frigido non erunt combustibilia. Dubium autem est de lapidibus, & latere cum coagulentur à calido per optesim ut diximus supra: quare non sunt vstibiles? Ad hoc respondet Albertus in tract. 3. ca. 19. ibi. (Suminus enim vstibile, &c.) & intendit talem distinctionem. Vstibile dupliciter, proprie ut distinguitur contra consumptibile, & diffinitum est supra in principio huius q. generaliter prout omne obtentum & victum ab igne, discontinuatur educto humido per calorem vstiuum. Sic lapis & later, & metallum liquatum per longam moram persistens in igne, potest dici vri, quoniam euaporat totum humidum & relinquitur modicum terreum discontinuatum ut puluis.

Circa 3. vnde proueniat facilitas vstionis, & difficultas. Dico secundum Albertum in tract. 3. c. 17. ibi. (Sunt enim illa vstibilia,) quod facilitas proueniat à duobus: primo ex eo quod corpus habet poros dispositos secundum longitudinem, & amplos, plenos humore aereo vel pingui: vnde in ter ligna, quæ rariora sunt, ut salices & vites magis vstibilia sunt, remoto humore aqueo. secundo prouenit ex facili separatione humidi à sicco. Vnde quæ habent humidum in separabile à sicco, sunt difficulter combustibilia, ut dat illic exemplum Albertus de pilo salamandræ, ex quo si fiet, lixiuum, erit incombustibile vide eum in fine capi. decimi

sept. mi, propter negationem autem pororum, aut magnam constrictionem, sit inustibile etiam generaliter sicut exemplificat philosophus in textu 48. de carbunculo, & causam lux inustibilitatis adducit Albertus in tracta. 3. in ca. 19. ibi. (Cum enim omni lapidi precioso.)

De exhalabili vel vaporatiuo, aduerte quod philosophus in text. 48. ibi. (Exhalabilia autem) loquens de eis intendit quatuor, primo quæ dicantur exhalabilia. secundo quomodo differt vapor causatus à calido vstiuo, ab exhalatione causata à calido sed non vstiuo. tertio, quomodo diuersimode nominatur exhalatio quæ est à calido vstiuo: quarto ponit duo correllaria, vnum de oleo, aliud de vino dulci antiquo, & omnes partes textus expone sicut Petrus Aluernier. quem ad literam imitatur Gaetanus. Sed antequam declares tex. aduerte, quod exhalatio de qua hic loquitur philosophus, non sumitur in eodem sensu, in quo accepit eam philosophus in primo libro metheorum. Nam in primo libro exhalatio sumpta est, pro segregatione calida, & sicca, ex qua generatur impressiones ignitæ, sicut à sub: & lancea, & stella comata, hic autem sumitur, pro euanescentia corporis per segregationem humidi naturalis à corpore, secundum quod consueuimus communiter dicere de fructibus antiquis, quod sunt exhalata, & exsiccata. Hac diff. præmissa, clara tibi erit intentio philosophi, & in hoc text. non immorabis in Alberto, quoniam potius confundit quam declarat. Ideo sufficit tibi Gaetanus.

De inflammabili & suo opposito philosophus in eodem text. pertractat, circa quem difficultas non cadit, nam si exponens textum philosophi, secundum Petrum Aluernier. quem ad literam imitatur Gaetanus, & omnia notanda quæ adducit Gaetanus, sunt ipsius Petri, nullam patieris difficultatem. Albertum magnum vide ad placitum, adducit enim aliqua curiosa, præcipue de carbonibus Germaniæ, quibus vtuntur fabri.

Q V A E S T I O X X X V I I.

Quomodo cognoscere possumus, ex impressionibus prædictis, quæ mixta sint aqua aut terra aut aer à prædominio aut communita terre & aquæ.

Accipiamus homiomerorum qualia terre species & qualia aquæ. Textu 48.

Philosophus hic incipit quartum tracta. quarti lib. vbi duo intendit, primo declarare quomodo possumus cognoscere in vniuersali, cuius elementi sit aliquid mixtum, ex aliqua impressione prædictarum, quæ in tali mixto inuenitur. secundo quomodo ex eiusdem impressionibus, possumus cognoscere, quæ mixta sint calida, & quæ frigida secundum naturam, & hoc in text. 53. ibi. (Quæcunque autem terræ, &c.)

Et quoniam philosophus, per vniuersales propositiones procedit, de quibus multoties nec rationem adducit, ideo decreui totum hunc tracta. per conclusiones & dist. ordinare, & primo in generali. secundo in speciali. Sicut etiam philosophus procedit.

Prima Dist. Corporum mixtorum, quædam humida ut fluida, quædam mollia, quædam dura, mollia quidem & dura sunt per coagulationem ut dictum est supra.

Secunda Dist. Corporum humidorum, quædam euaporant, quædam non.

Prima conclusio, omne humidum euaporans, est aqua à prædominio. vel de natura aquæ. Antequam probetur hæc conclusio, aduerte quod philosophus in hoc text. accipit (euaporant) id est, exhalant. Nam ut diximus in q. præcedenti vapor proprie est eorum, quæ sunt sicca, & terrestria, exhalatio autem est humidorum. Vnde est materia impressio num humidarum ut pluuia & niuis, &c. Hæc conclusio probatur sic, vapor sumptus per exhalationem, nõ segregatur nisi ex aqua vel habente aquam: nam terra ut sicca non exhalat nisi madefiat, nec aer exhalat, imo prohibet exhalationes, ut dicemus de oleo. De igne non est dubium, licet enim sua actione faciat humidum exhalare ipse tamen, quia siccus, non exhalat. Si igitur omnis exhalatio est ab aqua, vel ab habente aquam innatam vel ab extrinseco infusam, omne humidum exhalans, ut exhalans, est à prædominio aqua, & de natura aquæ.

Secunda conclusio. Quæcunque humida non exhalant sunt terra ex prædominio, aut temperatæ ex terra & aqua, aut

aut temperatæ ex terra & aere, aut temperatæ ex aqua, & aere, hæc probatur sic. Quæcūque humida, vt humida sunt exhalabilia. Intelligendo de humido aqueo, ex conclusione præcedenti. Si ergo non euaporant, est ex his quæ euaporationem impediunt. Impedientia euaporationem, sunt terra & aer, terra quidem ex sua siccitate. Si enim fit ab humido aqueo, prohibetur à sicco terreo sibi opposito: ergo &c. Item impedit aer, non quidem vt humidus. Sed prout humidum aereum, vt diximus supra, cum ageremus de impinguatione est impinguationum, ad impingua. sequitur viscositas, viscositas autem impedit exhalationem, quæ concatenat quasi inseparabiliter humidum cum sicco, exhalatio autem non fit nisi separatione humidi aquei, patet ergo quomodo aer exhalationem impedit. Ex his concludit philosophus quod mel non vaporat, eo quod est ex prædominio terra. Non vaporat etiam ex sua viscositate, nec lac vaporat, eo quod est communiter aquæ & terre, nec planta vaporat, eo quod est communiter terræ & aeris, nec oleum vaporat, eo quod est communiter aquæ & aeris, nec coagulata calido vaporant vt sal, eo quod est communiter terræ, & aquæ. Nā coagulatio quæ fit à calido: fit per educationem humidi secundum partem, reliquum autem humidum commiscetur sicco, ergo habet humidum aqueum & sic cum terreum: ergo communiter constat ex terra, & aqua.

Sed dubium occurrit de vino, cuius elementi fit à prædominio. Videtur enim mustum esse terra, à prædominio, cui attestantur multæ suæ feces, vinū autem antiquū quoddam videtur terra à prædominio, vt vinum archadig, quod coagulatur, vt sal. Quoddam autem, à prædominio aqua, vt vinum commune. Huic dubio respondet Albertus in 3. tract. ca. 2. ibi. (est autem dubium.) Vide eum, vbi multa curiosa inserit, de musto & sua ebullitione.

Q V A E S T I O X X X V I I I .

Quæcūque autem à frigido ingrossantur. Text. 49.

Philosophus in præcedenti in textu. declarauit, cuius vel quorum elementorum sint humida vt vaporatiua, & non vaporatiua, hic autem manifestat cuius vel quorum elementorum sint humida vt impinguantur, & nota quod pro eodem accipit, ingrossari, & impinguari, propono ergo distinctionem ex qua elicio conclusiones.

Distinctio. Impinguatō fit vel à calido solo, vel à frigido solo, vel ab utroque.

Prima conclusio. Quæ impinguantur à calido solo, vt vinum dulce, & vna bene matura, & ficus sunt aquea à prædominio, probatur. Calidum ideo impinguat, vt dictum est supra, cum de impinguatione ageremus, quoniam educit humidum aqueum, & siccum terreum subtile bene commiscet cum residuo aqueo, & humido aereo, ita quod siccum constat, vt patet quando incipit maturari vna paulatim humidum ingrossatur, & fit viscosum. Quod ergo impinguantur, per sequestrationem humidi, ex natura sua prædominantur humidum ei. Sed quæ impinguantur calido solo, impinguantur per separationem humidi, ergo à prædominio sunt humida, & per consequens aquea.

Secunda conclusio. Quæ impinguantur à frigido solo sunt terra à prædominio probatur. Quædam impinguantur à frigido solo, paruam habent humiditatem, & multam caliditatem, quæ compressa à frigido circumstante, vel concentratur, & humiditatem exsiccat; fortior facta, vel exprimitur à frigiditate & secum trahit paruam humiditatem. Tunc sic cum materia impinguationis fit humidum, & siccum. Si humidum est paucum, siccum exceller: ergo impinguatū à frigido, erit terra à prædominio, quæ autem impinguantur à frigido solo difficile est inuenire, nec philosophus exemplum adducit, expositores autem exemplificant de melle. Quod tamen philosophus in eodem textu. ponit inter ea, quæ impinguantur calido & frigido. Ideo non videtur verum, eorum exemplum.

Tertia conclusio. Quæ impinguantur calido & frigido diuisim agentibus, sunt communiter id est, temperate mixta ex aqua & terra, hæc probatur sic. In quantum impinguantur, calido, est necesse inesse aquam, cuius humiditate egressa per actionem caloris, siccum cum reliquo humido commixtum constabit vt diximus in concl. 1. In quantum autem impinguantur frigido, est necesse primo inesse terram & secundario aquam cuius humiditas educitur à calido euaporante propter expressionem frigidi circumstantis, & ipsa e-

ducta, siccum consistit, per reliquum humidum, vt adinuicem bene commiscetur, patet ergo quod in hac impinguatione, impinguable constat ex humido aqueo & sicco terreo & per consequens est communiter & temperate ex aqua & terra, & de his quæ impinguantur à calido & frigido, exemplificat philosophus de oleo & melle, & vino dulci.

Sed dubium occurrit in textu philosophi, dixit enim in textu 48. quod oleum est communiter aquæ & aeris, hic autem dicit, quod est communiter aquæ & terræ: ergo videtur opposita dicere.

Ad hoc dici potest, quod hæc duo non sunt opposita, considerauit enim in superiori textu. oleum sub ratione non exhalatiui, hic autem considerauit sub ratione impingubilis. In quantum ergo non exhalatiuum constat ex aqua & aere. In quantum autem impinguable à calido, & frigido, constat ex terra & aqua. Si hæc responsio non te quietat, exercere ingenium.

Q V A E S T I O X X X I X .

Constitutorū aut quæcūq; coagulata sunt à frigido. Text. 50.

Philosophus in hoc textu. manifestat, cuius vel quorum elementorum sint mixta vt coagulantur siue sint dura vt lapis, siue mollia vt nix, & præpono duas distinctiones. Deinde annecto conclusiones.

Prima distinctio. eorum quæ coagulantur, quædam coagulantur à calido tantum, vt sal, quædam à frigido tantum vt metallum, & glacies & cristallus, &c. Quædam à calido & frigido successiue, vt declarabo, sicut gumma & lacrimæ euntes ab arboribus.

Secunda distinctio. eorum, quæ coagulantur ab utroque, quædam coagulantur per consumptionem, & educationem totius humidi non continuatiui. Quædam per partialē consumptionem ipsius humidi, residuum autem comprimitur per frigidum circumstantis.

Prima conclusio. Quæ coagulantur à solo frigido, sunt aqua ex prædominio, probatur frigidum non coagulat nisi comprimendo humidum aqueum: ergo vnumquodque in quantum coagulat frigidum solo, est humidum aqueum: ex consequenti est aqua, nec est instantia, de luto, quod coagulat frigidum, & tamen non est aqua imo terra ex prædominio. Nam dico quod coagulat, & frigidum per compressionem humidi, & calido per exsiccationem, vt patet in æstate. Hic autem loquimur de his, quæ tantum à frigido coagulantur sicut glacies, nix, grando, pruina, manna, quod est ros congelatum. Dico secundo quod licet lutum vt lutum, sit à prædominio terreum, tamen vt congelabile frigidum, est à prædominio aqua.

Secunda conclusio. Quæ coagulantur à calido tantum: sunt terra à prædominio, vt later, sal, caseus, probatur. Calidum non coagulat nisi per consumptionem humidi vel educationem. Quo educto siccum terreum, quod prius dispersum erat inter partes humidi, adunatur, & consolidatur, vel constat, vt dicunt alij. Sed non constaret, nisi tale coagulabile esset magis terra, non enim constat humido compresso, sicut ea quæ coagulantur à frigido, nec constat humido euaporato vel consumpto, ex quo amplius non est: ergo constat sicco terreo; ergo per essentiam est à prædominio terra.

Tertia conclusio, quæ coagulantur ab utroque: sunt cõiter terra & aqua. Antequam probetur conclusio primo declara vt Albertus, 2. tract. c. 16. ibi. (Dico autem ad oia ista) quod ista coagulatio quæ fit ab utroque, non potest incipere à frigido, & cõpleri per calidum, sed incipit semper à calido, & cõpletur, per frigidum. Deinde probatur conclusio sic. Hæc non coagulantur à calido, nisi quia calidum educit aut consumit humidum, ergo vt sic habet humidum aqueum. Deinde hæc non coagulantur à frigido, nisi quia frigidum circumstantis fortiter comprimit residuum humidi cum sicco terrestri, ergo vt sic habet siccum terreum, ergo constant communiter ex qua vt coagulantur à calido, & ex terra vt coagulantur à frigido. Talia sunt mirra, thus, & oes lacrimæ præcedentes ab arboribus. Nā vt dicit Albertus in tract. 4. c. 3. Calor arboris primo expellit lacrimam indigestam & tenuem, & idem calor arboris, resoluit, & consumit humidum subtile, ex lacrima indigesta, & viscosa efficit. Tandem frigiditate aeris exterioris indurata per oppositionem humidiviscosi, & calor educere non potuit

Quarta conclusio, quæ coagulantur ab utroque, ita quod totum humidum, præter humidum continuatiuum, est consumptum, vt in latere cocto, & in lapidibus non molificabilibus. illa sunt maxime terrea. Hæc probatur. Talia constant per solum siccum continuatum præcise per humidum

continuationem, & non per compressionem humidi aquei, ergo sunt minime aquea, ex consequenti maxime terrea, & talia sunt immollificabilia, & illiquabilia.

Quinta conclusio. Quæ coagulantur ab utroque, ita tamen quod rotum humidum non educitur, sed partim educitur, partim comprimitur, sunt quidem magis terrea quam aquea, non tamen maxime terrea. Hæc probatur. Constant sicco terreo, & parte humidi aquei compressa, ergo habent terram & aquam. Sed de sicco terreo nihil consumptum est, de humido autem aqueo, pars consumpta est, actione calidi, ergo magis terrea quam aquea sunt, & quia pars humidi compressa, remanet in eis, ideo eorum aliqua sunt mollicabilia actione ignis, ut ferrum & cornu, quædam autem mollicabilia, & vaporabilia aut exhalabilia. Sicut thus & gümma, & alia lacrimæ.

Q V A E S T I O X L.

Quoniam igitur liquabilia, & quæcunque liquefunt ab igne aquosiora. Textu 52.

Philosophus in hoc text. manifestat, ex impressione liquationis, & sui oppositi cuius vel quorum elementorum, sunt liquabilia, & non liquabilia & præpono distinctionem. Deinde adduco conclusiones.

Distinctio. eorum, quæ liquantur, quædam liquantur à calido, quædam à frigido, nihil autem liquatur ab utroque, licet coaguletur ab utroque. Nam quæ liquantur à calido ut dicam, sunt à prædominio aqua, quæ autem liquantur à frigido, sunt à prædominio terra. Si igitur idem liquaretur ab utroque esset à prædominio & aqua & terra, quod est impossibile, cum in quolibet mixto, sit tantum unum elementum prædominans, cuius motum, & operationem mixtum sequitur.

Prima conclusio. Quæcunque liquefunt calido sunt à prædominio aqua, vel communiter terra & aqua, probatur sic, quæ liquefunt calido, vel coagulantur solo frigido ut glacies, grando, metallum, & sic sunt aqua prædominio ut probatum est in text. præcedenti in conclusione prima, vel coagulantur à calido, & frigido, ut cera, & pix, & quædam alia viscosa, & sic sunt communiter terræ & aquæ, ut probatum est in text. præcedenti, in conclusione tertia.

Secunda conclusio quæ liquantur à frigido ut sal, & nitrum & alumen, sunt terra à prædominio. Hæc probatur: quæ liquefunt à frigido, coagulantur à calido, quæ coagulantur à calido, sunt terra à prædominio ut probatum est in text. præcedenti in conclusione secunda.

Tertia conclusio, quæ sunt illiquabilia, ut later, & lapis, sunt terra à prædominio, probatur, hæc sunt coagulata per consumptionem totius humidi non continuantis. Talia sunt terrea, ut probatum est in text. præcedenti in conclusione 4.

Quarta conclusio, quæ sunt illiquabilia, & tamen mollicabilia, actione calidi, ut cornu & lignum, & lacrimæ arborum, sunt quidem magis terrea quam aquea, non tamen maxime terrea, sicut illiquabilia & immollificabilia. Hæc declaratur per conclusionem quintam textus præcedentis.

Q V A E S T I O X L I.

Aurum itaque quidem & argentum. Text. 52.

Philosophus usque huc manifestavit, in universali, cuius vel quorum elementorum, sunt subiecta prædictarum impressionum, nunc autem declarat de quibusdam in specie super quæ formo has conclusiones.

Prima, Aurum, argentum, æs, stannum, plumbum, vitrum, aliqui lapides in nominati, ut illi ex quibus decollat vitrum si ponantur in fornace, sunt aqua à prædominio, hanc probat philosophus sic. Omnia liquando calido, & congelantur solo frigido: ergo sunt aqua à prædominio consequentia patet per text. præcedentem in conclusione prima, & adverte ut dicit Albertus in tract. 4. c. 5. ibi. (Aurum & argentum, &c.) quod sub hac conclusione continentur lapides præciosi perspicui ut cristallus, carbunculus, berillus, &c. qui sunt quædam vitra naturæ, ut declaratur in libro mineralium. Omnes enim aquei sunt. Quod autem non sint liquabiles hoc non est ut aquei, sed ut sic congelati, quod calor totaliter extinctus est, & pori quasi deleti ex maxima constrictione frigoris, & ideo cum apponuntur, ignis non habet ingressum in eis, ad dissoluendum humidum.

Secunda conclusio; Quædam vina scilicet debilia, & non fortia & dulcia, vina acetum, lixiuum, ferrum lactis ycor. id est, nascentia indigesta scilicet ante saniam, sunt aqua à prædominio. Adverte quod dixi vina non fortia dulcia, hæc enim propter magnum calorem intrinsecum non coagulantur frigido. Item diximus supra quod vinum dulce

propter viscositatem, est communiter terræ & aquæ, eo quod impingatur à calido & frigido, successive agentibus. Hæc conclusio probatur ut præcedens, eo quod congelantur solo frigido, sed talia ut diximus supra sunt aquea: ergo, &c.

Tertia conclusio ferrum, cornu, vnguis, os, nervus, pili, crines, lignum; cortex, folia, quamvis sint communiter terræ & aquæ, tamen sunt magis terrea quam aquea.

Circa istam conclusionem adverte primo, quod licet comparata aquæ, sint magis terrea quam aquea, tamen inter se comparata, non sunt equaliter terrea, sed quædam plus quædam minus inter numerata. Hanc autem inæqualitatem vide in Alberto in tract. 4. c. 5. ibi. (Similiter dicit eadem consideratione, &c.) Usque ibi (Amplius etiam terrea sunt.) Conclusio autem sic probatur. Quæ coagulata non de facili liquefunt, sunt terrea à prædominio. Abundantia enim terre & paucitas humidi, impedit liquationem, quæ fundatur in humido. Sed hæc quæ dicta sunt, non de facili liquefunt ut ferrum, & alia sunt omnino illiquabilia: ergo magis terrea sunt.

Sed hæc ratio, non videtur vera. nam concessa maiore, sequitur Cristallum esse terreum à prædominio, quia non de facili, imo nec potest liquefieri.

Ad hoc dicitur quod ut humidum est facile liquabile, est enim ut congelata aqua, sed ut tali modo congelatum, puta per extinctionem totius calidi, & constrictionem pororum, sit illiquabile. Ma. ergo debet intelligi, de eo quod est difficile vel impossibile liquari, in quantum tale per principia intrinseca. Sic autem non cristallus, &c.

Quarta conclusio, electrum, Mirra, thus, & omnia dicta lacrimæ & fructus ut legumina, & frumentum, &c. sunt à prædominio terrea, licet adinvicem comparata, quædam plus quædam minus. Hæc inæqualitas terre declaratur sicut ponit Albertus in tract. 4. c. 5. ibi. (Amplius & terrea sunt &c.) Conclusio autem probatur sic. Omnia prædicta si imitantur in aquam mollescunt: ergo ex se sunt sicca, & per consequens terrea. Item ex multo tempore, quasi totaliter evaporant & evanescent, sicut patet in pomis, quæ ex longo tempore exsiccantur: ergo sunt ex natura terrea, aliter non ita sicarentur.

Quinta conclusio, vitrum, sales, & lapides illi qui ex solo calido coagulantur, sicut lapides, qui emittuntur à vulcano, porosi, qui vulgo dicuntur pumices sunt à prædominio terra, probatur coagulantur à solo calido per consumptionem humidi: ergo sunt terre, consequentia probatur per text. 50. & est conclusio secunda.

Sexta conclusio genitura, i. sperma & sanguis, sunt communiter terræ & aquæ & aeris. Hæc conclusio, probatur primo de genitura. Nam habet tres proprietates, quarum prima est, quod est glandulosum, & corpulentæ substantiæ, & hoc non habet nisi à terra, quæ est principium omnis densitatis: est enim terra primo densa. secunda est, quod est receptivum figurarum à virtute formativa quæ est in ipso, & sic oportet quod sit aqueum, quia aqueum est bene figurabile, ut diximus supra loquentes de formabili, & informabili. tertia est, quod est spirituosum: spiritus enim est vehiculum virtutis formativæ & sic oportet quod sit æreum, &c. Hæc omnia vide in Alberto in tract. 4. c. 5. ibi. (Licet enim in lib. de animalibus dicatur) Idem brevitè declarat de sanguine ibi. (Sanguis etiã est ex se, &c.) Adverte tamen ut dicit philosophus in text. & declarat Albertus in eodè c. quod aliquis sanguis est magis terrestris quàm aqueus sicut ille, qui habet multas vias pororum. Aliquis autem magis aqueus, quia non habet has vias pororum, sicut sanguis saniosus in apostemate, antequam apostema sit digestum. Verum de differentia horum sanguinum iudicium relinquo medicis.

Q V A E S T I O X L I I.

Qualia autem calida aut frigida coagulatorum, &c. Text. 52.

Philosophus in hoc text. intendit declarare quæ mixta sint calida aut frigida, ex eo quod sunt huius vel illius elementi vel communiter plurius & præpono distinctionem. Deinde deduco conclusiones.

Prima Dist. Mixtorum terminatorum, quædam sunt aqua à prædominio, quædam terra, quædam cõiter terra & aqua.

Secunda Dist. Calida & frigida dupliciter, quædam sunt talia à principio intrinseco, puta à propria materia. Quædam sunt talia ab extrinseco agente, puta quia sic vel sic passa à tali agente, cui assimilantur. primo modo dicuntur talia, naturali & propria qualitate. secundo modo dicuntur talia aliena qualitate.

Prima concl. Quæcunque sunt aqua à prædominio, sunt secundum naturam suam & propriam materiam frigida.

Secunda conclus. Quæcunque sunt terra à prædominio, sunt secundum naturam & propriam materiam frigida. has concl. simul probat philosoph. ibi. (qm̄. n. siccum & humidum materia, &c.) & intendit talem rationem: in quibus dominatur aqua aut terra, in eis dominatur siccum terræ, & humidum aquæ. Hæc. n. consequuntur formas elementorum. Sed siccum terræ est adiunctum frigidum. Diffinitur enim terra per esse. siccam & frigidam. Similiter humidum aquæ est adiunctum frigidum, est enim humida frigida, & secundum tactum reputatur maxime humida, licet secundum naturam rei, humiditas primo inest aeri, ut diximus in 2. de generat. ergo ubi dominatur aqua vel terra: talia sunt secundum naturam, & propriam materiam frigida.

Tertia concl. Quæcunque sunt aqua aut terra, licet sint frigida secundum propriam materiam possunt tamen esse & sunt calida, caliditate aliena. Hæc probatur sic. Quæcunque patiuntur à calido, possunt fieri calida, & assimilari calefacienti. Agens. n. assimilatur sibi passum. Sed hæc possunt pati à calido, patet. n. quod aquea calefiunt, & terrea ut ferrum & later, &c. Sed aduerte quod ea quæ recipiunt caliditatem alienam, non eodem modo, omnia recipiunt: quædam. n. recipiunt per modum transeuntis, quæ sibi derelicta reuertuntur ad frigiditatem virtuales & formalem, sicut aqua & ferrum, & lapis, &c. Quædam autem recipiunt eam, per modum habitus & seruant eam virtualiter, quasi naturalem sibi factam, ab agente. Hoc modo vinum recipit calorem à calore solis quo digeritur. Vnde ut vinum est semper virtualiter calidum, licet à materia sit frigidum. Similiter lixiuum hoc modo recipit calorem à cinere, & vrina recipit à calore digerente in renibus. In terreis idem apparet, calx ab igne recipit calorem virtuales & quasi connaturalem factum in lignum combustum, ut soluitur in cineres eodem modo. In de cineres sunt inseparabiliter calidi virtualiter propter partes subtiles adustas. Item circa ea quæ recipiunt caliditatem transeuntis est differentia, quædam. n. facile recipiunt & debilitate, & cito amittunt sicut ea quæ sunt raræ substantiæ. Quæ autem sunt densiora, difficulter recipiunt: sed intense & diu seruant. Vnde dicit Philosoph. in tex. (quæcunque. n. maxime coagulanda sunt, &c.) vsque ibi (vrit magis.)

Idem per oia iudicandum est de his quæ recipiunt frigiditatem alienam, & applica tu, secundum utranque differentiam.

Quarta concl. quæ sunt cõiter terræ, & aquæ aut aeris, sunt calida. Aduerte quod ut sunt terræ, & aquæ, non sunt calida intrinsece ex propria materia, ut patet, ut autem habent aerem, nihil prohibet. Aer. n. natura calidus. Vnde oia pingua, ex aere calida sunt, & ideo philosoph. volens probare quod sunt calida, non probat ex materia, sed ex agente digerente quasi innuens, quod de talibus, secundum materiam iudicandum est sicut de prædictis excepto prout constant ex aere, secundum autem compositionem, & digestionem præcipue pepanum, qua constituuntur inesse, debent dici calida, calore facto sibi intrinseco, & naturali, non ex materia: sed ex digerente, probat ergo philosoph. hanc concl. ibi (constant. n. plurima) & sic intendit, plurima horum sunt digesta & constituta in esse per calorem digestiuum, ergo calida sunt, & aliqua eorum sunt putrefacta à calore, ut sintegmata, i. quæ tendunt ad corruptionem sicut apostemata: ergo sunt calida.

Ex hac concl. philosoph. ibi. (quare habentia) elicit correlariæ, quod sanguis & genitura, & medulla sunt calida, calore sibi facto naturali, ex calore digerente, licet tamen sint calida, quia est sunt multum aerea, & hoc correlarium declaratur sic. Quæcunque sunt digesta à calido quam diu sunt integra in natura sua, & non deteriorata, seruant in se dispositionem naturæ suæ. Sed hæc dispositio est caliditas virtualis pro aliquo gradu, ergo sunt calida quoad sunt integra & non corrupta. Dicit autem, quoad sunt integra, quoniam cum egrediuntur à sua habitudine naturali, quoniam putrescunt & vel sunt extra locum suum naturalem, non remanent calida virtualiter, sed efficiuntur frigida, & huius ratio est, quia tunc in eis soluitur prima compositio, & non remanet in eis, nisi materia ex qua sunt, quæ est terra & aqua: hæc autem sunt frigida ex natura, ergo talia corrupta remanent frigida secundum naturam propterea aduerte, quod expedit componentibus. medicinae vel electuaria, quod sumant componentia, antequam amittant bonam habitudinem, seu complexionem suam. Tunc enim virtutem habent debitam eis, cum autem amiserint bonam habitudinem ex putrefactione, vel vetustate, non

habent propriam virtutem, imo contrariam. Sicut vinum antequam exhalet, virtutem habet calefactiuam. Si autem exhalauerit, vel conuertatur in acetum, virtutem habet infrigidandi, eo quod partes subtiles calidæ euaporarunt.

Q V A E S T I O X L I I I.

Quæcunque enim maxime, &c. Text. 53.

Philosophus ostendit, quomodo aliquod mixtum potest esse frigidissimum frigiditate aliena, ex eo quod est maxime congelatum. Quoddam etiam potest fieri calidissimum, caliditate aliena, ex eo quod si igniatur, maxime ardent, sicut metallum liquatum, & ferrum ignitum.

Quo autem hæc duo sint vera, aduerte, quo ad primum, quod tale mixtum frigidissimum, potest ad duo comparari. primo ad elementum simplex. primo frigidum ut est aqua, & sic dico quod dictum philosophi, non debet sic intelligi, quoniam in elemento primo frigidum, est frigiditas in summo, quæ non est admixta alicui gradui caliditatis, quodlibet autem mixtum licet appareat frigidissimum ad sensum, non tamen habet frigiditatem in summo, cum. n. omne mixtum constet ex 4. elementis, ut probatum est in 2. de generat. est necesse ei inesse aliquid caloris, ut componitur ex igne. secundo potest comparari ad alia mixta frigida, quorum nullum habet summam frigiditatem, & sic dictum philosophi. est verum: licet. n. nullum mixtum habeat frigi. in summo, tamen quia vnum excellit aliud, potest dari vnum, quod in pluribus gradibus superabit alia, & sic respectu eorum dicitur frigidissimum, licet non sit absolute frigidissimum.

Sed contra 1. partem arguitur sic. In aliquo mixto sunt plures causæ frigiditatis, quam in elemento simplici. Nam in mixto cõiter ex terra & aqua, causæ frigid. sunt aqua & terra. In aqua autem est tamen vna causa, s. sua forma substantialis, ad quam sequitur frigiditas: ergo non inconuenit aliquod mixtum esse frigidissimum et comparatum simplici elemento. Ad hoc dicitur, quod consequentia non valet, nisi quoniam plures causæ frigiditatis in causando frigidum, non reprimuntur ex eo quod eis non admiscetur calidum. Si autem eis admiscetur calidum, consequentia nulla est, quoniam calidum admixtum, prohibet summam infrigidationem, sic est in proposito, nam in corpore mixto, virtus terræ & aquæ in causando frigiditatem determinatur per virtutem calidi ingredientis mixtionem. In aqua autem, nihil est limitans frigiditatem, & ideo simpliciter maxima est frigi. in aqua, quæ non est possibilis in aliquo composito, nec naturalis nec aliena.

Quo ad 2. quo corpus natura frigidum, ut ferrum, possit fieri calidissimum stante natura ferri. Aduerte quod à forma sua naturali non potest calidissimum fieri, imo nec calidum. Nam ad eam consequitur naturaliter frigiditas, ergo non caliditas. Intelligendum est ergo dictum philosophi, de calidissimo facto, à calefaciente extrinseco, puta ab igne. Sed dubitatur. nam dictum est, quod nullum mixtum potest fieri simpliciter frigidissimum: ergo nec calidissimum, contraria. n. habent fieri circa idem. Sed ad hoc dicitur quod falsum supponitur. s. quod philosoph. dicat, tale frigidum fieri simpliciter calidissimum. Hoc. n. non est verum, nisi in respectu per eandem rationem, quam adduximus de frigidissimo. dico tamen quod non inconuenit aliquod mixtum esse susceptiuum plurium graduum caloris, ex densitate suæ materiæ, quam graduum frigoris. Vnde ferrum loquendo de frigiditate & caliditate aliena, est receptiuum intensioris caloris quam frigiditatis, & hoc prouenit, ex dispositione materiæ, & quando arguitur, quod contraria habent fieri circa idem concedo, non tamen pro æqualibus gradibus, maxime quando materia talis est, quod magis receptiuum vnius contrarij est. Sic est in proposito de ferro.

Q V A E S T I O X L I I I I.

Quoniam autem de his determinatum est secundum vnum, quodque dicamus, quid caro. Text. 54.

Philosophus hoc text. vlt. recolligit dicta, & proponit quæ dicenda sunt, in libris sequ. s. de mineralibus, de vegetabilibus, de animalibus. In toto hoc text. non inuenio difficultatem. Tu tamen vide expositionem Alb. mag. tract. 4. c. 7. & 8. Illic inuenies, quoniam vnum quodque est propter opus suum, & hoc habent à forma specifica, & quoad habent tale opus vel potest habere, sunt vere talia, cum vero non possint habere, dicuntur æquiuoce talia, & ex hoc inuestigat, quoniam mors & vita potest verificari in quolibet mixto, ita quod dicatur Saphirus mortuus & viuus. Similiter aurum argentum, &c.

Hic terminantur resolutiones super Quartum Librum Meteororum.



D. CRHYSOSTOMI IAVELLI, CANAPICII,



QVÆSTIONES SVPER LIBRVM de Senſu & Senſato.

QVÆSTIO I.

De neceſſitate horum tractatum, de ordine eorum adiuuicem. Ad quam partem naturalis philoſophiæ, immediate ſequitur liber de ſenſu & ſenſato.



Quæ fuerit neceſſitas componendi parua naturalia, dico ſecundum B. Tho. in prologo de longi. & breui. quod fuit vt complete traderetur ſcientia de rebus animatis. Nam res animata, non ſolum conſideranda eſt ſecundum eſſentiam ſuam, & ſecundum potentias effluentes ab anima. Sed etiam quo ad proprietates quaſdam, quæ inueniuntur in genere animatorum. Sicut eſt mors & vita, ſomnus & vigilia. Dico ergo quod de re animata ſimpliciter & absolute, & præcipue quo ad animam, & potentias ſuas, conſideratur in libro de anima. De re animata, anima vegetatiua, conſideratur in libro de vegeta. De re animata anima ſenſitiua, conſideratur in libro de animalibus. De re autem animata anima intellectualis, qualis eſt homo, in quantum intellectualis eſt, non eſt officium phyſici conſiderare, niſi pro quanto intelligere eſt cum fantaſmate. Vnde conſiderare de homine vt intellectualis eſt præciſe, eſt potius metaphyſici, phyſicus enim conſiderat ſolum actiones, quæ explentur organo corporali. Licet igitur de homine vt ſenſitiuus eſt conſideretur in libro de animalibus, & vt vegetatiuus, puta in quantum ſanabile, & egrorabile, conſideretur apud medicos, tantum in quantum intellectualis, conſideratur à metaphyſico. Intelligere enim eſt actio abstracti à materia, quod ſub conſideratione metaphyſici cadit.

De proprietatibus autem animatorum philoſophus conſiderat in his paruis naturalibus, vt declarabitur, quæ tamen proprietates, non conueniunt niſi vegetatiuo, aut ſenſitiuo, aut ſecundum locum motiuo. vnde animatum intellectiuum vt ſic, non cadit ſub hac conſideratione.

Quem ordinem habeant inter ſe ſecundum prius & poſterius. Dico quod iſte ordo, penes duo poteſt attendi. primo penes naturas rerum animatarum. ſecundo penes dignitatem earum. Si conſiderentur primo modo, dico quod libelli in quibus agitur de proprietatibus conſequentibus, animatum vegetatiuum ſunt priores, vt liber de morte & vita, de longitudine & breuitate, de iuuent. & ſenectute. Vegetatiuum enim eſt prius & vniuerſalius ſenſitiuo, &c. Ad hos autem ſequuntur libelli, in quibus agitur de paſſionibus, conſequentibus ſenſitiuum, vt libr. de ſenſu, & ſenſato, de memoria & remiſcentia, de ſomno & vigilia. Ad hos ſequuntur libelli in quibus agitur de paſſionibus conſequentibus animal perfectum, vt eſt motiuum ſecundum locum, vt liber de motu animalium, & liber de reſpiratione & inſpiratione.

Si autem conſideretur ordo ſecundo modo, dico quod libellus in quo agitur de proprietate ſenſitiui, ſenſu exteriori eſt prior, ab actione enim ſenſus exterioris, pendet actio ſenſus interioris, & ideo ad librum de ſenſu & ſenſato, immediate ſequitur de memoria & remiſcentia. Vnde apud græcos, vt dicit B. Tho. exponens, reputatur eſſe pars libri de ſenſu & ſenſato. Ad hunc autem ſequitur de ſomno & vigilia. Somnum enim ſu pponit impreſſionem factam

in ſenſu interiori, ita quod retineat ſpecies ſenſatas, vt patebit 7. Ad hos ſequitur liber de motu animalium, licet enim animal vt motiuum ſecundum locum, ſit quid nobilius, quam animal ſimpliciter, tamen ſi conſideretur, quod motus localis non ineſt animali, niſi per apprehenſionem & cognitionem, obiecti ſub ratione conuenientis vel diſconuenientis, & hæc apprehenſio eſt per ſenſum exteriorem, vel interiorem, vt dicemus, loco ſuo, ideo vt ſic quia motus localis animalium comparatur ad ſenſationem, ſicut effectus ad cauſam à qua originatur, libellus de motu animalium ſequitur librum de ſomno & vigilia: libellus autem de reſpi. & inſpira. eſt immediate ſequens librum de motu animalium, quaſi vt pars eius ſicut declarabitur. Tertio loco ponuntur libri de proprietatibus vegetatiui, eo quod vegetatiuum ignobilius eſt, & licet ſit prius ſenſitiuus, tamen in ratione ſenſationis, non ita pendet, ſenſatio ab actionibus vegetatiui, ſicut pendet motus localis, à ſenſatione. Vnde ſolet dici, quod vegetatiuum, præcedit ſenſitiuum, fundamentaliter, ſed non formaliter, ponuntur ergo tertio loco, de cauſa mortis, & vitæ, ad quem ſequitur de longitudine & breuitate. Hæc enim ſupponunt vitam, ad quem ſequitur de iuuentute, & ſenectute. Suppoſita enim vita, & longitudine, ac breuitate, inueſtigandum eſt de duplici ſtatu viuientium, quorum alter perfectus, & dicitur iuuentus aliter deſiciens, & dicitur ſenectus.

Ad quam partem philoſophiæ naturalis liber de ſenſu & ſenſato immediate ſequatur, dico quod immediate ad librum de anima, & hoc declaratur dupliciter, primo ex proœmio philoſophi in hoc lib. Vbi incipit (quoniam autem de anima) ſecundo ratione ſic, notitia proprietatum ſequitur immediate notitiam ſubiecti. Sicut enim res ad eſſe, ſic ad cognoſci, ſed paſſio fuit ſecundum eſſe à ſubiecto. ergo notitia paſſionis fuit à notitia ſubiecti. vnde quod quid eſt ſubiecti, eſt ratio ad demonſtrandum paſſiones de ſubiecto.

Sed contra prædicta nunc arguitur. De ſenſu & ſenſibili, agitur in 2. de anima. etiam ſecundum omnia genera ſenſuum, & in 3. de anima, in parte vltima, agitur de potentia motiua ſecundum locum in animali, ergo non fuit neceſſe hic reiterare nec de ſenſu, nec de motu animalium.

Ad hoc dicitur ad primum, quod in ſenſatione tria poſſunt conſiderari. primo quomodo ſenſus immutatur à ſenſibili, ita quod ſit actu per ipſum ſenſibile. ſecundo quomodo in omni ſenſatione eſt potentia medium organum, & obiectum. Tertio quale, & ex quibus eſt in ſpecie organum cui inſubet ſenſus, & ſimiliter quæ ſunt obiecta in ſpecie horum quinque ſenſuum, & cuius naturæ ſint, & quomodo generentur, vt color & ſapor, &c. primo & ſecundo modo conſideratur de ſentire in libro de anima, tertio autem modo conſideratur hic, vt videbitur. Quantum ad ſecundum, dico quod tria ſunt principia motus localis in animali, ſ. diſcretiuum, & hoc eſt virtus apprehenſiua, in homine quidem principaliter cogitatiua, in bruto autem æſtimatiua, ſecundum eſt imperatiuum, & hic eſt appetitus, tertium eſt vis executiua, quæ radicatur in corde, & extenditur per muſculos, & neruos. De motu locali, quo ad primum & ſecundum principium, actum eſt in lib. de anima. De tertio autem agitur in libro de motu animalium.

Q V A E S T I O I I.

Si appetitus inest soli animali, ita quod non plantæ. Videatur autem maxime, & communia & propria animalium, &c. Text. 2. secundum assi. Beati Thom.

Aduerte pro noticia sequentium, quoniam commentator non distinxit text. philosophi, per commentum, ut habeamus numerum textuum notabo eos secundum expositionem B. Th.

In hoc igitur secundo textu philosophus adducit ea, quæ sunt communia cuilibet animali, & tamen propria, ita quod non inveniuntur nisi in animali; ut sensus memoria, &c. Inter quæ assignat appetitum iuxta quod dubitatur, & arguitur, quod sit etiam in plantis. Omne quod nutritur cum caret nutrimento appetit illud alioquin cito deficeret. Sed planta proprie nutritur, & aliquando caret nutrimento, ut quando est in terra sicca & macra, ergo appetit nutrimentum.

Ad hoc dicitur quod duplex est appetitus, quidam cum discretionem, & cognitionem appetibilis, & est actus elicitus, & hoc est tantum in animali, sequitur enim sensum, quidam autem est sine cognitione appetentis, dirigitur tamen appetens ab aliquo superiori cognoscente, & hic appetitus dicitur appetitus naturalis, qui est inclinatio rei, in suum conueniens, & hic non est proprius animali, imo in qualibet natura inuenitur, & hoc appetitu, planta appetit cibum.

Circa eundem textum ibi. (& enim hæc fere,) occurrit dubium, quomodo hæc consequentia valeat, in quolibet animali est sensus: ergo memoria, & appetitus, & gaudium, & tristitia; clarum est enim, quod sentire est prius quam memorari, & quam appetere, non inconuenit autem ponere prius sine posteriori: ergo consequentia non erit vera.

Ad declarationem huius, aduerte, quod alio modo verificatur hæc consequentia; sensus est in hoc animali; ergo & memoria, alio modo hæc, sensus est in hoc animali: ergo & appetitus: nam prima non valet nisi sumendo memoriam, per memoria determinata, vel indeterminata, altera enim istarum inest cuilibet animali nam determinata inest animali perfecto tantum, altera autem animali imperfecto. Quomodo autem differant hæc duæ memoriæ. Vide B. Th. in 3. de anima lectio. 16. text. 36. Consequentia igitur erit vera, tenendo memoriam distinctiue, quam consequentiam probat philosophus in tertio de anima in eodem textu, ut videbis.

Secunda autem consequentia, vera est absolute, & deducit eam philosophus in secundo de anima textu 27. ibi. (Si autem sensitium, & appetituum.)

Ad argumentum autem, dico quod quando ad prius, sequitur naturali sequela aliud tale, prius non potest reperiri sine illo, sicut ignis sine calore, sic dico in proposito, memoria distinctiue sumpta, & appetitus, naturali sequela sequuntur ad sensum.

Circa eundem textum ibi. (existunt autem horum maxime quatuor) occurrit dubium circa illud, quod dicit philosophus, quod somnus & vigilia insunt omni animali non tamen plantæ. Nam causa somni non inest cuilibet animali. Hæc enim causa secundum philosophum in libro de somno. est vapor eleuatus à loco digestionis ad caput, & frigiditate cerebri ingrossatur ac fit graue. Sed hoc non inest cuilibet animali, quoniam animalia multa carent capite & cerebro ut animalia imperfecta, præcipue in conchilia marina: ergo in eis non est somnus, & vigilia.

Ad hoc potest dici, quod licet talia animalia, non habeant caput, nec per consequens cerebrum, tamen habent aliquod proportionale capiti & cerebro, nobis quidem innominatum, & quod agit cerebrum in animali perfecto, hoc agit illud proportionem in animali imperfecto, licet nõ equè perfecte, non enim habent adeo profundum somnum nec ita frequens sicut habent animalia perfecta. Aliqui dicunt, quod totale causa somni ingrossans vaporem non est caput, & cerebrum, sed etiam pellis exterior repercutit eum, & in animali quidem perfecto, requiruntur hæc omnia simul eo, quod indigent multo somno. In animali autem imperfecto sufficit pellis exterior, vel aliquid loco eius, ad causandum somnum debile & breue, quo indigent huiusmodi animalia.

Q V A E S T I O I I I.

Quare sensus sunt situati in capite, & in parte anteriori. De sensu, & sentire quid sit, & quare accidit animalibus. Textu 4.

Philosophus ab hoc textu usque ad textum 12. reasumit plura determinata in libro de anima, necessaria huic considerationi, in qua intendit agere de organis sensuum, & de obiectis, ut ergo hæc reasumptio resoluatur, quæruntur plura, quædam quidem extra literam, quædam autem secundum literam, extra literam quæruntur.

Primò Quare sensus sunt situati in parte superiori, & anteriori.

Secundò, unde sumenda est sufficientia, & numerus sensuum exteriorum.

Tertiò, quem ordinem habent inter se secundum prius & posterius, secundum literam autem quæruntur.

Primò, si tactus, & gustus saluatur in plantis an in solo animali.

Secundò, si ad scientiam magis confert visus, quam auditus.

Tertiò, si est verum, quod omnia corpora participant colorem.

Quare sensus situati sunt in parte superiori & in anteriori.

Circa hanc quæ aduerte, quod quia à corde fluit omnis virtus sentiendi, videri posset alicui, quod debeant esse in pectore, vel prope cor, essent enim perfectiores, eo quod essent minus distantes à suo principio, à quo recipiunt virtutem.

Ad hoc dicitur, quod sensus est virtus organica, ideo debet situari in illa parte, in qua rectè disposita sint organa. Si autem essent organa visus, & odoratus, &c. prope cor, essent semper indisposita, propter excessentem calorem & continuum motum cordis, unde nec species sensibiles quiete reciperentur in eis: præterea quia quilibet sensus fit, mediante calore naturali, sed temperato, est necesse quod hic calor temperetur frigiditate alicuius membri, quod ut frigidum opponitur cordi. tale autem membrum est cerebrum: ergo conuenienter situantur organa sensuum in capite, ubi est cerebrum.

Ad argumentum autem negatur, quod essent perfectiores ex eo quod essent minus distantes, nec probatio valet, quæ stat in hoc, omne propinquius suo principio, est perfectius, hoc enim non est verum, nisi tale sit totale principium, modo calor cordis, non est totale principium sentiendi, requiritur enim & organum temperatum, & conueniens receptio speciei sensibiles in organo, quæ non essent in sua debita dispositione, si propinquarent cordi, ex suo calore.

Quare autem situati sunt in anteriori parte puto non esse assignabilem causam aliam, nisi quia cum sensuum apprehensio dirigat animal in actionibus suis, præcipue secundum motum localem debet situari in nobiliori parte, quæ est anterior, & ad quam mouet animal perfectum. Mouet autem ad ante, ut patet.

De sufficientia sensuum exteriorum.

Quare sint sensus exteriores, & non plures. Inuenio plures rationes, una sumitur ex vario modo immutationis, qua obiectum immutat sensum, & secundum hanc B. Th. assignat eorum sufficientiam in 1. parte. q. 78. art. 3. Vide eum, & clarus est. Alia ratio sumitur ex perfectione, quam consequitur animal ex sensibus. Quæ quidem perfectio vel est propter esse animalis, vel propter bene esse. Si est propter esse animalis, sic ei inest tactus, & gustus. Tactus ut discernat corruptentia vel non corruptentia complexionem suam. Gustus, ut discernat nutrimentum sibi conueniens, & non conueniens, nam sicut per nutrimentum conueniens conseruatur in esse, sic per disconueniens corruptitur, & hanc declarationem inuenies in expositione B. Th. super textum sextum, & in libello commentatoris, de sensu & sensato in principio. Si autem est propter bene esse, hoc dupliciter, aut propter bene esse corporis, aut animæ præcipue in homine: Si propter bene esse corporis, sic ei inest odoratus. deseruit enim ad quærendum cibum: ut patet in cane & aliis. Homini autem licet gustui deseruiat, tamen magis deseruit in cerebro in quo fundantur organa omnium sensuum, & ideo indiget confortatione boni odorabilis. Bonum enim odorabile confortat, imo conseruat cerebrum in temperamento bono suæ complexionis. Sicut mala odorabilia, debilitant, & distemperant, propterea intendentes speculationi, habent odorare bonos sed temperatos odores. Si propter bonum animæ præcipue in homine, hoc erit propter scientiam, quæ est perfect

perfectio intellectus, scientia autem dupliciter acquiritur, aut inuentione, & sic maxime deseruit visus, vt dicit philosophus infra textu 10. Aut doctrina, & sic maxime deseruit auditus vt dicit philosophus in prologo Metheorum ibi (Addiscunt autem quecunque cum memoria hunc habent sensum id est, auditum.) Vnde dicitur sensus disciplinæ.

Quem ordinem habent inter se secundum prius & posterius.

Aduerte q̄ dupliciter possunt ordinari, & vel secundum ordinem nature, vel secundum ordinem perfectionis, vel dignitatis. Si primo modo. Sic dico quod illi sensus sunt priores, qui supponuntur aliis, & vniuersaliores sunt, & sunt separabiles ab aliis, & non econuerso, & hoc modo tactus est prior, secundus est gustus, deinde odoratus, deinde auditus, deinde visus. Secundum talem ordinem tractat breuiter, philosophus in hoc libello, de his sensibus incipiens à textu sexto vsque ad textum 12. Si secundo modo. Dico quod ille sensus est nobilior in quo minor immutatio naturalis reperitur. Cum enim immutatio spiritalis sit ratio sentiendi, ille erit perfectior in quo magis seruetur, hæc ratio sentiendi, hic autem est visus, deinde auditus, & odoratus, & gustus, & tactus, & huius declaratio nem ponit B. Th. in 1. parte q. 78. artic. 3. ibi (Visus autem quia est, &c.) & secundum talem ordinem tractat philosophus de sensibus in secundo de anima, incipiens de visu, successiue vsque ad tactum. Hæc discussa sint extra literam Circa textum autem quaruntur, &c.

QVÆSTIO IIII.

Primo si tactus, & gustus inest soli animali.

Circa tactum dubitatur propter organum; nam declaratum est in secundo de anima & in secundo de generatione, quod organum tactus consistit in quadam mediocritate, & proportionem primarum qualitatuum, & quanto magis ad medium redacta fuerint, tanto nobilior erit tactus. Sed hæc contemperantia primarum qualitatuum inest cuilibet mixto, vt declaratum est in secundo de generatione, non enim se compaterentur qualitates contrariæ in summo, ergo in quolibet mixto est organum tactus, & per consequens tactus.

Ad hoc dicitur, quod contemperantia primarum, qualitatuum, dupliciter est in aliquo, primo secundum esse merè naturale, secundo, secundum esse naturale, & intentionale, vel spirituale, primo modo non constituitur tactus, sed potius tangibile. secundo modo constituitur tactus, quia cum tactus sit sensus, & sensus sit receptiuus specierum sine materia, est necesse quod organum tactus, sit receptiuus sui obiecti, non solum materialiter, sed etiam intentionaliter, & quia hæc receptio intentionalis, non inest inanimatis, ideo licet habeant primam contemperantiam, non tamen habent tactum. Quomodo autem intelligatur, sensum esse receptiuum specierum sine materia. Vide B. Th. in 2. de anima, in textu 121. vel lectio. 24.

Circa gustum etiam dubitatur, nam dicit philosophus in textu 6. quod gustus inest animali propter escam, sed plantæ ita egent esca, sicut animal, ergo eis necessarius est gustus, & si dicatur quod licet planta egeat esca, non tamen est ei necesse discernere escam, conuenientem, ab inconuenienti. Contra planta per conueniens nutrimentum bene nutritur, per disconueniens autem malè nutritur, & malè fructificat, vt patet in planta transplantata in loco inconuenienti; ergo videtur assumere conueniens, & diffugere disconueniens, quod non videtur posse fieri, sine discretionem.

Ad hoc dicitur, quod licet planta egeat esca, & recipiat eam in se, tamen non habet nec potest habere gustum, eo quod recipit nutrimentum mutatione pure naturali, gustus autem vt tactus, quidam est, recipit materialiter, & intentionaliter.

Ad argumentum de planta, nego consequentiam, dico enim quod attrahit tam conueniens nutrimentum, quam inconueniens, licet non ita conseruetur ab inconuenienti, sicut à conuenienti, non sic autem est in animali, solum enim conueniens prosequitur ex cognitione.

QVÆSTIO V.

Secundo si visus magis confert scientiæ acquirendæ quam auditus.

Dubitatur secundo, quia dicit philosophus in textu 9. (Horum autem ipsorum ad neces, &c.) quod visus est melior secundum se quam auditus, licet ad intelle-

ctum per accidens magis deseruiat auditus. Dubitatur inquam, quia ex sola apprehensione obiecti visibilis, non causatur scientia, alioquin omnes rustici essent sapientes, ex apprehensione autem alicuius complexi, quod ab alio docente audimus, causatur scientia, sicut causat docens in discipulo; ergo magis confert auditus, quam visus.

Ad hoc dicitur, quod visus & auditus tripliciter considerantur. primo, vt sunt principia cognitionis sensitivæ, & sic dico quod visus est melior, quia vniuersalior, quia per ipsum comprehendimus omnia genera corporum in quantum visibilia sunt, per auditum autem solum sonabilia, & hæc rationem adducit philosophus in textu 10. secundo considerantur, vt per se deseruiunt intellectui acquirenti scientiam per inuentionem, & sic dico quod visus est melior, plurium enim fantasmatum sensus visus est causatiuus, cum videat superiora corpora & inferiora, a pluribus autem fantasmatis distinctarum specierum plures species intelligibiles abstrahibiles sunt; ergo intellectus plurium & vniuersaliorum intelligentiam scrutatur & inuenit ex visu quàm ex auditu: vnde de remoto visu, scientia de elementis, nec de atris inuenta fuisset, ex auditu autem, quasi sola musica inuenta est: tertio considerantur, vt deseruiunt intellectui acquirenti scientiam per doctrinam, & sic constat, quod auditus melior est, visus enim non deseruit doctrinæ, nisi ex eo, quod visus ex gestis docentis representat magis aliquid discipulo. Auditus autem deseruit, ex eo quod audit terminos, & intellectus ex termino audito incompleto vel complexo fertur in significatum termini; Vnde philosophus in textu 11. approbat hoc signo. Apparet enim quod si quis nascatur cæcus, potest fieri sapientior, eo qui videns natus est, sed surdus & mutus. Sed aduerte quod in hac tercia consideratione, sumuntur vt deseruiunt intellectui per accidens, non per aliud, non enim deseruit visus videns gestum docentis, vt gestus est, sed vt est representatiuus conceptuum docentis. Similiter auditus non deseruit ex eo quod percipit vocem loquentis solum, sed in quantum vox representat talem intentionem, quæ est in animo docentis, vnde si purus latinus audiat hæbreum loquentem, auditus ille non deseruit intellectui.

Ad argumentum autem, nihil concludit, comparatur enim visus ad auditum in tercia consideratione scilicet, quando acquiritur scientia per doctrinam, & sic concedimus totum, dictum autem philosophi debet intelligi, de prima & secunda consideratione vt declarauimus.

QVÆSTIO VI.

Tertio si omnia corpora participant colore.

Dubitatur Tertio, quia dicit philosophus in textu 10. quod omnia corpora participant colore. Dicemus enim infra, quod color est qualitas secunda causata à primis quam constat non esse in cælo, cum sit supra elementa, nec in elementis simplicibus, vt declaratum est in secundo de generatione, quomodo ergo debet intelligi dictum philosophi.

Hic inuenio duas responsiones, prima dicit, quod color sumitur dupliciter. primo pro suo essentiali, quod est lux. secundo pro luce, vt est in corpore terminato, sicut dicemus infra. Dicit ergo ista opinio quod dictum philosophi debet intelligi, quod omnia corpora participant colore. primo vel secundo modo. primo quidem modo corpora cælestia, videntur enim vt lucida: secundo autem modo, corpora inferiora in quibus resultat color, ex admixtione primarum qualitatuum, elementa autem dicit non esse visibilia in sua simplicitate considerata, eo quod pura diaphana sunt. Diaphanum autem secundum se non terminat visum, sed est medium visionis.

Hæc responsio non est completa, non enim reddit causam omnium, quare terra pura visibilis est, & tamen nec est lucida, nec colorata, nec diaphana.

Alia responsio est B. Th. in expositione textu 10. ibi. (Et ideo dicit quod colore participant omnia, &c.) & intèdit quod omnia participant colore vel secundum propriam rationem coloris, vt inferiora mixta, vel quo ad principia coloris, quæ sunt diaphanum, & lux, vt cælum. Sed quid dicemus de elementis, dico q̄ tria elementa superiora, possunt dici habere colorem, quia habent vnum principium coloris scilicet diaphanum, ignis etiam ultra diaphanum habet lucem, licet non immutet visum nisi condensata in materia aliena. Terra vero potest dici improprie colorata, prout

ex sua opacitate & grossitie: reflectit lucem, & ex tali reflexione efficitur visibilis. Sic potest seruari dictum philosophi, licet ingeniose sit interpretandus: Sua enim propositio formaliter est falsa, sed in sensu dicto potest sustineri, vnde Albertus Magnus in libro de sensu & sensato in ca. 2. dicit, quod ideo hæc propositio est vera, quia hypostasis colorum est lumen, omnia autem corpora & superiora, & inferiora siue simplicia siue composita, participant de lumine, vt dicemus, quando loquemur de colore: ergo vt sic, possunt dici, participare colorem, non autem colorem secundum propriam & totalem rationem coloris.

Q V A E S T I O V I I .

Si oculus celeriter motus in tenebris videt se.

Ille autem modo ipse seipsum videt oculus. Tex. 15.

Philosophus in hoc textu vult declarare causam huius accidentis. vnde est quod si celeriter moueatur oculus in tenebris, videtur ignis lucere. Causam quidem huius sufficienter declarat. B. T. in expositione. Sed dubium est quomodo sit vera hæc propositio philosophi (ipsum seipsum videt oculus). Nam visibile semper distat à vi dente, cum visio fiat per medium extrinsecum, & visibile positum super visum non videatur. Sed oculus non distat à seipso; ergo: præterea idem non patitur à seipso, ex secundo de generatione, ergo idem oculus non videtur à seipso.

Ad hoc dicitur quod oculus dupliciter consideratur. primo secundum se præcise. secundo, vt emittit fulgorem ex sua lenitate in quo repræsentatur ipse oculus, sicut in speculo quando quis respicit speculum, & oculus videt figuram suam in speculo, & per illam reflexiue videt seipsum. Sic in proposito dico, quod oculus celeriter motus videt in tenebris fulgorem suum, quem emisit antequam fulgor ille euanescat, & per fulgorem sibi similem videt seipsum. Ad argumentum primum nego minorem imo oculus vt emittit fulgorem, distat à seipso. Sicut distat effectus à causa, & sicut distat imago oculi impressa in speculo, ab ipso oculo, sic distat ille fulgor emissus ab oculo, per quem seipsum videt reflexiue. Ad secundum dico, quod non patitur à seipso secundum idem: nam se videt actuatus illo fulgore emissio: recipit autem visionem in seipso præcise considerato.

Q V A E S T I O V I I I .

Si in organo visus, est ignis, vt dicebant antiqui.

Quoniam si ignis esset vt dicit Empedocles, &c. Tex. 16.

Circa hunc textum, videtur philosophus male improbare antiquos: Nam & ipse iuxta concessa ab eo, cogitur ponere ignem in oculo, nam concessit in textu 15. quod oculus videt seipsum in tenebris. Omne autem quod videtur aut est lucidum aut coloratum, sed oculus non videt se, vt coloratum, color enim per seipsum, non actuat diaphanum in tenebris: ergo videt se vt lucidum, & sic lumen habet in seipso, & licet non sit ita clarum in quolibet oculo, hoc tamen est euidens in cato, præterea in eodem textu dicit philosophus, quod corpora lenia fulgent, & enim nigrum oculi sit lene, concludit quod fulget: ergo habet in se lucem. Lux autem omnis, aut est cælestis, aut elementaris, constat autem, quod non est cælestis, quia lux illa non venit in compositionem mixtorum, ergo erit lux elementaris, quæ est ignis tantum. Præterea cum organum visus, sit quid mixtum. In quolibet autem mixto sunt quatuor elementa, ergo in oculo erit ignis.

Ad hoc dicitur, quod omnes rationes verum concludunt, sed non contra mentem philosophi, ipse enim non negat, quin lux insit oculo, quæ est ignea, sed negat, quod ex tali luce oculus debeat dici igneæ naturæ à prædominio, & in hoc sensu impugnat antiquos qui vt dixit B. T. in expositione textus 12. attribuebant vni elementorum à prædominio, omnia organa sensuum, vt tactum terræ. Visum igni, &c. organum autem odoratus, attribuebant vapori medio inter aquam, & aerem, &c. Vide eum.

Q V A E S T I O I X .

Si visio fit extramittendo, vel intus recipiendo.

Irrationale omnino est, exeunte quodam, visum videre. Textu 21.

Circa hanc q. puto nullam esse certitudinem, Platonici enim defendunt, quod extramittendo, præcipue Calcidius, super Timeum, & Alchimidius de aspectibus: I uel. Tom. iij.

Perypathetici autem inter quos Auerroys, & Albertus Magnus, in lib. de sensu, & sensato defendunt mentem philosophi, quod intus recipiendo, cui concordat nouus compilator prospectiue, in prima parte, propositione 44. ibi. (Mathematicos ponentes.) nos autem defendentes philosophum dicemus quinque: primò quot sint opiniones in genere, de modo quo fit visio. secundo reprobanda sunt omnes, præter eam quæ est philosophi. Tertio declarandum est quomodo fiat visio ad mentem philosophi. Quarto probanda est conclusio philosophi, eo modo euidentiori, quo fuerit possibile. Quintò soluenda sunt principales rationes Platoniorum.

Circa 1. aduerte, quod de modo visionis, fuerunt quatuor opiniones principales, quas recitat commentator in suo libro de sensu & sensato ibi. (Dicamus igitur, quod opiniones antiquorum, &c.) Tertia quidem est Platonis. quarta est Aristotelis, easdem opiniones recitat, & diffusius Albertus in libro de sensu & sensato capitulo quinto.

Circa 2. aduerte, quod commentator in libro eodem ibi (Modo autem dicamus, &c.) reprobat tres primas opiniones. Dum autem reprobat tertiam opinionem fundat se super hoc, quod isti radij emissi ab oculo, siue sint corporales siue non, non possunt esse causa visionis, vide ibi, (& vniuersaliter dicentes radios exire, &c.) Alias rationes, & prolixas adducit Albertus, contra hanc opinionem in capitulo septimo, & commentator prospectiue, in prima parte, propositione 45. inter quas hæc est famosior. Illi radij exeuntes & contingentes rem visam, aut redeunt ad oculum, aut non. Si non, ergo non fit per eos visio cum anima non exeat à corpore. Si redeunt, ergo non redeunt nisi vt secum deferant speciem rei visæ, sed ad hoc non sunt necessarii, quia species visibilis, virtute luminis illustrantis diaphanum, per totum medium extenditur, vsque ad organum visus. ergo non sunt necessarii. Tangit & rationem commentatoris scilicet quod impossibile, aliquam virtutem oculi vsque ad sidera protendi, etiam si totus oculus in tales radios resolueretur. Item quomodo possibile est pyramidem radiosam egredi ab oculo, vt dicitur isti, ita quod conus pyramidis insit oculo, basis autem insit rei visæ, quoniam cum videamus medietatem cæli, sequitur quod latera istius pyramidis radiosæ, dilatentur per totum medium æmisperium, quod est pœnitus irrationale, & hanc rationem tangit commentator ibi. (Et etiam intelligunt corpus exire.)

Circa 3. dico duo. primò quot requiruntur ad visionem. secundò quomodo fit. Dico primò requiritur lumen, vt dictum est, in secundo de anima, eo quod color non est motius oculi, sine lumine, & de lumine quod sit, & quomodo requiritur, vide B. T. in secundo de anima Lectio 14. per totum. Sed aduerte, quod lumen deferuiens visui, non est solum lumen exterius, quod actuat diaphanum, sed etiam lumen interius, & connaturale oculo, ex eo enim, quod politum, & lene est vt supra dixit philosophus, habet quoddam lumen. Hoc autem lumen connaturale confert visui, non quidem, vt dicunt Platonici, quasi egrediens, & tangens rem visam. Sed quia efficit proportionatas species visibiles, potentia visua, ex luce enim solari diffunduntur. sed ex lumine connaturali oculo contemperantur, & ideo auctor prospectiue in prima parte, propositione 46. dicit sic. (Lumen oculi, naturali radiositate sua, visui conferre.)

Secundo requiritur medium diaphanum receptiuum speciei visibilis, quam deferit vsque ad organum visus, & de hoc medio, vide B. Th. in secundo de anima Lectio. decima quinta per totum.

Tertio requiritur pyramis radiosæ, deferens rem visam ad oculum sed alio modo, quam ponebant Platonici: nam illi dicunt hanc pyramidem inchoari in oculo, & protendi ad rem visam quam quidem causabant radij egredientes ab oculo, secundum Aristotelem autem pyramis incipit à re visa in aqua est basis, & terminatur ad oculum in cono, quam quidem causat intentionaliter res visa, & non est subiectiue in aliquo, nisi in medio diaphano, vt in deferente sicut dicit commentator in hoc libro ibi. (Nos autem dicimus,) necessitas autem ponendi pyramidem, cuius conus sit in oculo, exponitur in prima parte prospectiue propositione trigesima octaua & trigesima nona, & quadragesima. tamen resolute tangit eam B. T. in secundo de anima lectio. 15. ibi. (causa autem quare distantia, &c.)

Quarto requiritur motus causatus à re visa in videntem, per medium diaphanum. & hic quidem motus, non est

localis: sed alteratio, vt exponit B. Th. in hoc libro, in textu 23. eo quod est motus ad causandam formam: color enim qui est in corpore secundum esse reale, causat sui formam, quæ dicitur intentionalis species, in medio, & in organo, & sic mouet organum. Sed aduerte quod hæc alteratio non est naturalis realis, sed potius interioralis, nec incouenit dari alterationem, naturalem & intentionalem, sicut duplex est qualitas acquisibilis.

Circa 2. quomodo sit in istis his fiat visio, declarat commentator in hoc libro ibi (Dicamus igitur quod aer mediante, &c.) Illic inuenies, quomodo peruenit species rei visæ, ad vitreum oculi inde ad sensum communem, inde ad imaginatiuam, & illic habet esse magis spirituale, &c. Vide eum & quod visio compleatur in vitreo oculi, quod alij vocant humorem glacialem, confirmatur in prima parte prospecti uæ propositione 36. (Visionem vigere in humore glaciali.)

Circa 4. principale, aduerte quod philosophus, probat potius conclusionem suam improbando fundamenta, & modum opinionis contrariæ, quam arguere directe conclusionem suam, & ideo difficile est inuenire rationem sufficientem. Nam Auicenna in 6. naturalium, c. de diuersitate sententiarum de visu, immoratur ad declarandum inconuenientiam, quæ sequuntur ad opinionem contrariam. Similiter Albertus in hoc libro in c. 5. vsque ad 12. & illic est quasi recitator & commentator Auicennæ. Solus autem Auerrois in hoc libro ibi (& cum declaratum est, hanc comprehensionem, &c.) format rationem ad conclusionem philosophi. vlt que ibi (Sermo autem dicentis, &c.) quæ quantum valeat examinabis.

Circa 5. foluendæ sunt rationes aduersæ opinioni. Inter quas tres reputantur fortiores, primam adducit commentator in hoc libro ibi. (Dicentes autem, quod anima) & stat in hoc. Si oculus videt intus recipiendo, ergo non videt maiora ipso oculo. Maius enim non continetur in minori.

Ad hoc respondet commentator, quod consequentia est falsa, quando receptio maioris in minori, est intentionalis, & sic accidit in visione.

Perfectius autem diceret, quod & si maius vt maius, non recipiatur in minori, tamen si videtur sub pyramide, cuius angulus iam inchoatus est, & conus pyramidis est in organo non est inconueniens maius recipi in minori.

Secunda ratio. Videre est agere, ergo habet aliquod actiuum, ergo est necesse vel virtutem v. suam, agere in rem visam, per radios emissos, vel rem visam agere in visum, sed res visa non agit: quoniam color non est qualitas actiua: ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quod actiuum visionis, est visus actiua species. Speciem autem illam agit obiectum visibile, puta color, & cum arguitur, quod color non est qualitas actiua, concedo actione reali alteratiua, nego autem de actione intentionali, quæ sufficit in visione, ideo visus est spiritalior inter omnes sensus.

Tertia ratio visibile positum super sensum, non videtur, ergo hoc ideo est, quia radij egredientes à visu, non attingunt aliquod distans. Distantia enim est necessaria ad visum.

Ad hoc negatur, consequentia, imo hoc est, quia tunc in ter rem visam & visum, non mediat diaphanum exterius, de latium speciei intentionalis, & quia dum visibile tangit visum agit in eum solum materialiter, puta in frigidando vel calefaciendo, ideo non videtur visibile. comparatur enim tunc visibile ad visum, sicut tangibile ad tactum. Hæc pauca dixerim, libando potius, quam resoluendo hanc questionem.

Q V A E S T I O X.

Si organum odoratus attribuendum est igni.

Ignis autem odoratiuum Text. 25.

Circa hunc textum, aduerte quod philosophus, nõ ab solute, sed conditionaliter quasi condescendens sensui antiquorum, attribuit organa distinctis elementis à prædominio, & dicit vltimo, quod odoratus, quo ad organum, attribuitur igni, cui antiqui attribuebant organum visus, & quod odoratus sit attribuendus igni, probat in textu sequenti sic, quale est obiectum alicuius sensus in actu, talis est sensus vel organum sensus in potentia. Sed obiectum odoratus id est, odor est igneæ naturæ, vt declarat per definitionem odoris: ergo etiam organum debet esse igneæ naturæ secundum potentiam. Maior quidem proba-

tur, quoniam cum sensibile agat in sensum, sensus est ipsum sensibile potentialiter quidem: ergo debent esse symbola. licet non eodem modo essendi: nam quia pupilla est receptiua coloris, est potentialiter omnis color, non autem actu.

Sed contra hanc rationem philosophi, insurgunt duo dubia, primum est, quod eadem ratione possemus probare, organum visus esse igneæ naturæ. Sic arguendo obiectum visus est color, color est lux, lux quæ est color est elementaris, & non cælestis, quoniam cælestis non venit in compositionem inferiorum, lux elementaris est ignea. Nam inter elementa solus ignis licet: ergo color est naturæ igneæ. Sed quale est obiectum actu, tale in potentia est organum illius sensus, quo sentitur tale obiectum, ergo & organum visus est igneum.

Ad hoc dico duo, primo quomodo conueniunt, & differunt sensus & sensibile. secundo dicam ad argumentum. Quantum ad primum aduerte quod conueniunt in quantum vnum actuat & complet, & facit sibi simile alterum, omne enim agens assimilatur sibi passum in quantum potest. Differunt autem in quantum vnum agit in alterum, nullum enim simile agit in eo, quod est omnino sibi simile. In quantum ergo vnum actuat & complet alterum, dico quod habent symbolum, & in aliquo vno vel pluribus conueniunt. Sed hæc conuenientia potest esse in materia, vel in forma. Si in materia, sic conueniunt organum auditus, & sonus, vt roneque enim fundatur in aere, vt dicemus infra, cum loquimur de sono si in forma dupliciter, vel essentiali vel accidentali. Si essentiali, sic conueniunt organum visus, & color, conueniunt enim in luce, quæ lux est essentia coloris, & est de compositione oculi, propter suum perspicuum, vt declarauit philosophus in text. 24. ibi (& rationabiliter). Si in forma accidentali, dupliciter vel in pluribus, vel in vna, si in pluribus, sic conueniunt tangibilia, & organum tactus. Tactus enim complectitur 4. qualitates tangibiles. Si in vna, vel in humiditate, & sic conueniunt gustabile, & organum gustus, nihil enim gustatur nisi humidum ex se, vel factum humidum, vel in siccitate, & sic conueniunt odorabile, & organum odoratus. Sed illa siccitas duplex est, alia ignea, alia terrea, ignea quidem deseruit odoratiui. Terrea autem tactui, vt dicit philosophus in text. 27. In quantum autem vnum agit in alterum, dico quod sunt dissimilia, patiens enim est in potentia, tale agens autem, est actu formaliter, vel virtualiter tale, & vt sic differunt, imo opponuntur, sicut potentia & actus.

Ad argumentum autem, respondebimus, cum loquimur de colore, quomodo sit lux, & qualis lux.

Secundum dubium est, quod videtur organum odoratus, potius esse attribuendum aquæ, quam igni: nam situatur propinquum cerebro, quod est humidum frigidum: ergo & organum odoratus, ex propinquitate est humidum frigidum, & sic aqueum.

Ad hoc respondet Albertus de sensu & sensato, c. 15. Odoratus dupliciter sumitur, primo, vt est in potentia ad odorem, & quoniam vt in potentia, est dissimilis obiecto suo, vt prædiximus, ideo sicut odor est actu calidus & siccus, sic odoratus est actu frigidus humidus: Vnde dicit Albertus, quod est materialiter & complexionaliter frigidus, sicut cerebrum. secundo consideratur, vt actu recipit odorem, sic virtualiter est calidus, & siccus, non quidem ex se, sed ex transitu caloris cordis ad cerebrum, & calefaciens ac exsiccans organum odoratus. Vnde videmus, quod animalia, quæ modici sunt cerebri, sunt sicci, & calidi capitis, & optime odorant, sicut canes & cati. Concedo ergo quod complexione est frigidus, sed actione caloris cordis fit calidus. Sed dices: ergo non est à prædominio, ex mixtione igneus, concedo, nec hoc intendebat philosophus, sed dixit quod si complacendum est antiquis, potius attribuendum est igni, quam alteri elemento. Vnde in secundo de de anima de hoc nullam mentionem fecit: vt patet in text. 100. ibi (est autem odor sicci.)

Textus, quem adducit B. T. est in secundo de anima, sed ass. commentatoris text. 13.

Q V A E S T I O X I.

*Si organo tactus & gustus dominatur terra.
Tactiuum autem terra gustatiuum vero species,
quodam tactus, est. Text. 27.*

Circa hunc textum dubitatur, quoniam tactus apprehensivus est quatuor qualitatum, quarum una, in singulo elemento est in summo: ergo in tactu, vel omnia elementa dominantur, vel nullum, ex quo est perceptivus omnium, indifferenter. Præterea, tactus tanto excellentior est cognoscens qualitates tangibiles, quanto magis contrarietate sunt in complexione ipsius tactus: ergo ad bonitatem tactus requiritur, quod nulla qualitas, & per consequens nullum, elementum cuius est illa qualitas, domineatur in eo. unde & philosophus in secundo de anima text. 118. dicit tactum consistere in quadam medietate contrariorum tangibilium. Quod quomodo intelligatur: vide illic B. Th. præterea philosophus in tertio de anima textu 66. loquens de tactu dicit. (Hic autem sensus non est neque terra, neque alius elementorum nullius.)

Ad hoc dicitur elementa componentia tactum dupliciter considerantur. primò secundum virtutem actiivam. secundò, secundum quantitatem. Quantum ad virtutem actiivam, dico quod nullum elementum simpliciter dominatur in tactu, quoniam inter omnia mixta, ut diximus in secundo de generatione, organum & medium tactus, maxime accedit ad temperatum secundum pondus. Quantum autem ad quantitatem, dico quod dominatur terra, eo quod est minoris virtutis & actiivatis, & hoc declarat B. Th. in expositione ibi. (Terra maxime miscetur.)

Ad argumenta, duo prima concludunt, de dominio quantum ad virtutem, cum hoc tamen fiat dominium secundum quantitatem. Tertium concludit, quod tactus non est terra tantum, nec alius sensus, est vnum elementorum tantum, hæc enim fuit intentio philosophi, probare, quod corpus animalis, non potest consistere ex vno elemento, eo quod sensus tactus non consistat ex vno elemento, puta, terra tantum: vide eum in tertio de anima textu sexagesimo sexto.

Hic querendum est. Si organum tactus est in corde & non in cerebro, & vide expositionem B. Tho. in fine lectionis quintæ in libro de sensu & sensato.

QVAESTIO XIII.

Si de omnibus obiectis quinque sensuum considerandum est in libro de sensu & sensato.

Quid autem oporteat dicere, quodlibet eorum scilicet quid color, quid sonus, quid odor, quid sapor.

Similiter & de tactu. Textu 28.

Circa hunc textum adverte, quod philosophus, non videtur exequutus fuisse, quod proposuit. nam in hoc libro, agit tantum de colore odore, & sapore, tamen & proposuit etiam de sono, & obiecto tactus: ergo est diminutus.

Ad hoc inuenio duas responsiones, prima dicit, quod verba hæc (quid autem oporteat, &c.) referenda sunt, ad immediate antedicta, & non ad ea quæ præcisè tractanda sunt in sequentibus, præposuerat enim philosophus quod in libro de anima dictum est, quomodo quodlibet sensibile immutetur sensum suum. Sed quia hæc consideratio de sensibilibus, non sufficit: ideo ad complendam doctrinam de sensu & sensibili, consideranda est natura cuiuslibet obiecti scilicet, quid color, quid sapor. Hoc tamen non dicitur fiendum solum in hoc libro. Sed extra librum de anima. unde aliqua considerantur hic: aliqua in libro de generatione, ut de primis qualitibus tangibilibus, aliqua in quarto meteororum, ut qualitates secundæ tangibiles, sicut durum & molle, &c. aliqua in libro de celo, ut graue & leue. De somno autem sufficit consideratio facta in libro de anima, ubi agitur quomodo generatur, & quomodo immutat auditum, in secundo de anima textu 77. & 78. & hæc responsio elicitur ex expositione B. Th.

Alia responsio dicit, quod etiam in hoc libro agitur de differentiis tactus, non quidem secundum se, sed prout causant saporem & odorem, ut videbimus infra. Sed hæc responsio non valet. Accidit enim quod hoc modo considerentur, non enim considerantur, ut cadunt sub tactu, sed ut causant obiectum odoratus, & gustus, & præterea, non potest saluari de sono, de quo nec per se, nec per accidens est in sequentibus determinationibus, ut videbis. Ideo teneo primam.

QVAESTIO XIII.

Si sensibile in actu, & sensus in actu sunt idem.

Quomodo est idem, vel alterum, his qui secundum actum sensibus. Textu 29.

Iaue. Tom. iij.

Circa hunc textum adverte, quod philosophus non vult hic considerare de obiectis prout actu mouente sensum. Sed ut sunt apud mouere sensum. nam videtur philosopho sufficienter dixisse de obiecto sensibili in actu, in tertio de anima, querendo quid sit, determinauit in text. 38. quod est idem cum sensu in actu, sicut intelligibile in actu est idem cum intellectu in actu: verum hæc præpositio est valde obscura, nec potest saluari pro quolibet intellectu, nisi in multis distinctionibus, ut videbis in quaest. vltima, quam ordinavi de intellectu. Quomodo autem verificetur in sensu adverte, quilibet sensus est immaterialis, eo quod ratio sentiendi, est immutatio intentionalis, quæ est immaterialis, prout non recipit sensus suum obiectum, secundum esse materiale & naturale. Quodlibet etiam sensibile dum actu sentitur fit immateriale eo, quod sentitur per speciem immaterialem. Tam ergo sensus in actu, quam sensibile in actu, trahitur ad esse immateriale, in quo ut sic non distinguuntur & per consequens sunt idem, in tali esse, & hanc rationem innuit commentator in 3. de anima commento 38. ibi. Aristoteles enim quarum differentia sunt eadem, ipsæ sunt eadem in illo modo secundum quem habent easdem differentias huius primæ, & tu sic subsume. Sed sensus in actu & sensibile in actu, est eadem differentia entis, conueniunt enim in hoc, quod utrumque est immateriale: ergo ut conueniunt in tali differentia, sunt eadem, non tamen sequitur, quod omnino sunt eadem, nam secundum esse naturæ, non sunt eadem, quis enim diceret sensum visus, & albedinem niuis, esse eadem, & propterea dicitur, quod sunt eadem non in esse naturæ, sed in esse cognoscitio, vel in esse intelligibili, quod est esse sine materia.

Adverte tamen, ne credas, illam immaterialitatem, seruari eodem gradu in sensu in actu, & in sensibili in actu, & intellectu & intelligibili. Nam maior est in ordine intelligibilium, quoniam intellectus abstrahitur ab omni organo, & intelligibile, ab esse materiali, & conditionibus materiæ, ut intelligibile: sensus autem & sensibile licet abstrahant ab esse materiali, non tamen à conditionibus materiæ, cum sensus recipiat, ut hic & nunc. Item in ordine intellectuum, adhuc est latitudo immaterialitatis, quoniam datur summe immaterialis, ut intellectus diuinus, & Medius, ut intelligentia, &c. ut declaravi in vltima quaestione de intellectu. Vide eam similiter in ordine sensuum, est latitudo, quoniam visus immaterialior. Minime aut immaterialis est tactus, ut declarat B. Th. in prima parte q. 78. art. 3. ubi agit de sufficientia sensuum.

QVAESTIO XIII.

Si diffinitio Coloris est bene assignata à philosopho.

Quare utique color erit extremitas perspicui in determinato corpore. Text. 33.

Circa hanc diffinitionem adverte, quod primo aspectu videtur falsa. nam extremitas corporis terminati, est superficies, constat autem colorem non esse superficiem, cum sit qualitas. Præterea, apud B. Th. in expositione text. 30. & apud commentatorem in libro suo de sensu ibi (necesse est igitur ut color,) & apud Albertum in libro de sensu primo, tractatu 2. ca. 1. Duo sunt principia constituenta colorem, vnum formale, i. lux, aliud materiale id est, perspicuum, quod dicitur dyaphanum, sed hæc principia non explicantur in diffinitione philosophi: ergo non videtur sufficientes.

Ad resolutionem huius dicam tria. primo quot requiruntur ad naturam coloris, & sui generationem. secundo ex his adducam diffinitiones claras, quæ solent dari de colore: tertio declarabo in quo sensu diffinitio philosophi est vera.

Circa 1. dico, quod tria requiruntur. primò, lux vel lumen, quod est ut forma, & essentia coloris. Hæc enim est vera, color est lux, licet non simpliciter, ut dicam: unde Albertus in eodem c. dicit. Lumen est hypostasis, & forma colorum, & probatur ratione sic, visus est vnus sensus: ergo est vnus obiecti. Hoc obiectum est lux & color, omne enim, quod videtur, est lucidum vel coloratum: ergo est necesse, quod lux, & color sint idem omnino, vel quod vnum reducatur in aliud, ut in principium. Constat aut quod lux non reducitur ad coloré, cū sit prior, & cōmuniior, reperit em

tam in superioribus, quam inferioribus: ergo color reduci-
tur ad lucem, est ergo color lux. secundo requiritur perspi-
cium ut materia, in quo recipitur lumen, si enim color ef-
set lux sola, omnia lucida essent colorata, & ideo requiri-
tur receptiuum luminis, tale autem receptiuum, est ipsum
perspicuum, i. dyaphanum, ex 2. de anima tex. 65 vbi dicit lu-
men esse actum dyaphani, ergo dyaphanum est sicut mate-
ria, receptiuum luminis & sui oppositi: tertio requiritur ali-
quod terminans, & condensans ipsum perspicuum. Nam si
perspicuum non terminatur, recipit lumen in toto sui pro-
fundo, & non reuerberat ipsum, & tunc perspicuum illumi-
nari dicitur & non colorari, ut quando recipitur lumen in
aere vel in aqua. Si autem terminatur dyaphanum, tunc re-
cipit lumen in sui extremitate, & reuerberat ipsum, & tunc
dicitur colorari, primum autem terminatiuum, & conden-
sans materialiter est terra, in his inferioribus, eo quod alia e-
lementa, secundum partes profundas, sunt perspicua. Hæc
autem minime perspicua, quia tantum secundum superficiem
ut dicit Beat. Thom. in expositione textu. trigesimo.
circa finem. Ad completam ergo naturam coloris, re-
quiritur lumen non quidem cæleste, quoniam licet illud in
fluat in his inferioribus, non tamen incorporatur, est ergo
lumen elementare, quod attribuitur igni, & requiritur dya-
phanum aeris aut aquæ, receptiuum luminis, & requiritur
terminatiuum diaphani, quod terminet ex sua grossitie & opa-
citate, & hoc attribuitur terræ, ex quibus patet quod oë co-
loratu n. vero colore, est mixtum ex quatuor elementis,
nec aliquod elementum, etiam terra, non est colorata, &
quomodo color computatur inter qualitates secundas: ex
his pono aliquas diffinitiones coloris fundatas super præ-
dicta principia.

Prima, color est lux incorporata, & retenta in perspicuo
terminato.

Secunda, color est participatio lucis à perspicuitate ter-
minata. Ista duæ ponuntur ab Alber. in lib. de sens. trac. 2. c. 1.

Tertia, color est lux obumbrata ex admixtione corporis
opaci. hæc ponitur à B. T. in 2. de anima lectione 14. circa fi-
ni. (Dicendum est igitur, &c.)

Quarta, color est perfectio dyaphani terminati, sicut lu-
men est perfectio dyaphani interminati. Hæc est commen-
tatoris in libro de sensu, & sensato ibi. (& per hoc distingui-
tur color à luce.)

Sed antequam deueniam, ad diffinitionem philosophi
volo soluere duo dubia, contra prædicta.

Primum, illa tria principia coloris, non sunt de mente
commentatoris. Nam ipse in libro de sensu ibi. (Necesse est
igitur,) non adducit nisi duas naturas, ex quibus con-
stant colores, scilicet naturam luminosi, quam attribuit igni, & na-
turam dyaphani, quam attribuit aeri & aquæ: ergo non est
necesse apponere tertium scilicet, opacum terræ, ut termi-
natiuum.

Ad hoc dico, quod commentator considerauit colorem so-
lum, quo ad formam & materiam receptiuam, quæ forma
est lumen, quæ materia est dyaphanum, & hæc duo sunt in-
trinseca colori. Illa autem terminatio est, conditio mate-
riæ. Vnde potius est ratio, sine qua non, quam quid intrinse-
cum colori. non ergo negasset tertium principium, com-
mentator, nisi sub hac ratione quod non concurrat sic for-
ma vel materia, sed ut conditio materiæ.

Secundum est, si lumen est forma coloris, & dyaphanum
materia: ergo color non est qualitas simplex, sed potius quod
compositum ex materia & forma. Quod tamen est falsum,
ut discussimus in 12. metaphysicæ. Vbi declarauimus formam
accidentalem, non compositam intrinsece ex actuali & poten-
tiali.

Ad hoc respondet Albertus in tractu 2. c. 2. quid aliquid,
dicitur includere formam, & materiam dupliciter. primo,
ut resultans ex compositione eorum adinuicem, & tale est
verè compositum, sicut substantia materialis. secundo, ut
fluens ab eis & hoc non est necesse esse compositum intrin-
sece: sed erit unum essentialiter puta id quod est ut forma.
Alterum autem quod est ut materia, concurrat ut determi-
nans, & recipiens id quod est ut forma. Exemplum habemus,
quando diffinitur accidens in concreto, dicit enim formam
in recto, & subiectum ut receptiuum in obliquo. Dicimus
enim, quod album significat albedinem, non quidem secun-
dum se: sed ut recipitur in subiecto. Sic dicimus, quod co-
lor significat lucem, non quidem secundum se, sed ut reci-
pitur in dyaphano terminato. Vnde recipi in dyaphano ter-

minato, est de ratione coloris, licet accidat lumini, ut lu-
men est.

Quantum ad diffinitionem philosophi, dico duo. primo
vnam distinctionem. secundo quomodo est exponenda illa dif-
finitio.

Distinctio est hæc, color dupliciter sumitur, color in a-
ctu, color in potentia, color in actu, est tantum in extreni-
tate corporis colorati, quia secundum quod est in extreni-
tate, i. in superficie, potest actu mouere visum, non autem si
esset in profundo, corporis terminati, color autem in po-
tentia est per totum corpus terminatum, & fit actu per so-
lam diuisionem corporis, non quidem in actu nature, sed in
actu motui, non. n. actu mouet visum, nisi diuidatur corp-
ut patet, stante hac distinctione dico quod philosophus dif-
finit colorem, non quocunque modo, sed ut actu potest mo-
uere visum. Constat autem quod actu non mouet, nisi ut est
in extremitate perspicui terminati: vnde philosophus potius
considerauit colorem, quantum ad apparentiam, i. prout ap-
paret visu, quam quantum ad suam essentialiter: vnde dico se-
cundo, quod sic est exponenda diffinitio philosophi, color
est extremitas perspicui terminati, i. color est id quod su-
per apparet in extremitate perspicui, & quod sic intelligat,
patet per ea quæ dixit in tex. 31. vbi confirmauit sensum suum,
per dictum Pythagoricorum, qui dicebant colorem esse epy-
phaniam, id est super apparitionem, quasi superfinalis sit ap-
paritio.

Ex omnibus ergo prædictis, potes habere, quid sit color
essentialiter, per diffinitiones suprapositas, & quid sit appa-
renter per diffinitionem philosophi.

Sed contra diffinitionem philosophi, est dubium: nam si
color est extremitas, &c. ergo res mixta, non habet colorem
in sui profunditate, quod tamen est falsum, nam marmor &
nix, &c. sunt alba, in superficie, & in tota profunditate. Sic
apparet in aliis coloratis.

Ad hoc respondet B. T. in expositione tex. 33. ibi. (Sicut au-
tem corpora, &c.) & intendit quod hæc diffinitio, datur de
colore, prout est in actu, color autem est in actu, quando e-
xistente medio illuminato, potest per seipsum mouere vi-
sum. Hoc autem potest solum, ut est in superficie, quoniam
visus non attingit profunda rei visæ, nisi per accidens, &
ideo licet in profunditate rei, sit color, non tamen actu, sed
in habitu vel in potentia proxima, eo quod ex sola diuisione
corporis, potest actu mouere visum. Sicut etiam in pro-
fundo corporis, sunt multæ superficies virtualiter, quæ so-
la diuisione corporis fiunt actu.

Potest etiam dici, quod diffinitio philosophi, datur de
colore, magis secundum apparentiam quam secundum es-
sentiam, & quia color in profundo non apparet, ideo licet
insit secundum essentiam, quæ est lux incorporata, non ta-
men secundum apparentiam. In superficie autem est secun-
dum apparentiam & essentiam.

Q V A E S T I O X V.

*De distinctione & generatione extremorum colo-
rum & mediorum.*

*Simul autem, quæ sit necessitas, commixtis illis &
colores misceri. Text. 43.*

Circa hunc textum philosophus ex propria opinione
inuestigat species colorum, quomodo generentur, &
ut habeamus aliquam resolutionem dicam tria. primo
A quo tanquam à principio primo sumenda est diuer-
sitas colorem. secundo, quomodo generantur duo extremi
albedo & nigredo. tertio, quomodo generantur medij.

Circa 1. dico, quod cum eadem sint principia constituen-
di rem, & diuersificandi secundum quod alio & alio modo
se habent illa, quæ sunt principia constituendi colorem, e-
runt etiam principia diuersificandi & multiplicandi, secun-
dum quod diuersimode adinuicem comparantur. Diximus
autem, quod principia coloris sunt lumen & perspicuum rece-
ptiuum, & id quod determinat perspicuum, quod est opa-
citas terræ secundum ergo diuersitatem luminis, & perspi-
cui & opacitatem multiplicantur colores.

Circa Secundum scilicet, quomodo generantur duo ex-
tremi albedo & nigredo, declarat commentator in libro
de sensu ibi. (Color igitur albus, &c.) & intendit, quod li-
cet in quolibet colore concurrat luminosum ignis, eo quod o-
mnis color est lumen, & perspicuum aeris, & aquæ & opa-
cum terræ, terminatiuum tamen quando à prædominio fm
maximum, concurrat luminosum ignis, & perspicuum aeris,
perspic

perspicuum autem aqueum & opacum terræ concurrunt secundum minimum, generatur albedo: unde dicitur esse lumen, minime obumbratum, & dicitur esse color, habens plurimum de luce. Opposito autem modo, quando concurrunt, plurimum opacum terræ, & minimum de luminoso, ignis, ac de perspicuo aeris, generatur nigredo, quæ ab Aristotele in text. 34. comparatur albedini, sicut tenebra luminis. Quod quomodo debeat intelligi declarat B. T. in expositione eiusdem textus ibi, (quod quidem non est, &c.) & isti duo colores sunt extremi eo, quod maximè distant, per hoc quod est habere plurimum de luce, & minimum, vel per hoc quod est habere plurimum de opaco, & minimum.

Circa 3. s. quomodo generantur medij colores. Aristoteles in rex. 43. dicit causam esse diuersam mixtionem luminis cum perspicuo, & opaco, & hanc quidem mixtionem in textu 42. reducit ad diuersam mixtionem elementorum, eo quod non datur luminosum ignis, sine igne, nec perspicuas aeris aut aque, sine zere & aqua, nec opacitas terræ sine terra, cum enim istæ sint qualitates, non separantur à subiectis suis. In tendit ergo philosophus, quod cum mixtio elementorum diuersificetur in mixtis, eo quod non sunt æqualia, sed est neesse quod aliquod vel aliqua prædominètur, etiam diuersificatur, luminosum ignis, & perspicuum, & opacum, & cum ista sint principia colorum. Si diuersificantur secundum maximum, & minimum constituunt albedinem, & nigredinè. Si autem diuersificantur citra maximum, & minimum constituunt, medios colores, & cum inter maximum huiusmodi, & minimum dentur multi gradus secundum diuersas proportionales, ideo constituuntur multi colores medij. Qui tamen quomodo ordinentur, & quibus proportionibus in particulari, non determinatur ab Aristotele, nec à commentatore nec B. T. nec Alberto, nec ab alio quem viderim, gratia tamen exercitij intellectualis, possent disponi sicut in figura sequenti apparet & supponatur, quod in albedine sit lumen vt 8. & opacum vt 1. In nigredine autem opacum vt 8. & lumen vt 1.

Albedo	Lu.	8	Op.	1
Croceum	Lu.	7	Op.	2
Rubeum	Lu.	6	Op.	3
Vinosum	Lu.	5	Op.	4
Viride	Lu.	4	Op.	5
Azureum	Lu.	3	Op.	6
Fuscum	Lu.	2	Op.	7
Nigredo	Lu.	1	Op.	8

Aduerte autem, quod quilibet horum colorum, etiam habet latitudinem secundum intensum, & remissum, prout diuersimode participatur à subiecto. Hic autem intelligas has proportiones considerando colores secundum naturam suam, & quasi metaphysicæ, puta albedo vt albedo. viredo vt viredo, non vt est in folio aut pariete, & aduerte, quod loquimur de coloribus productis à natura, in generatione rei, & non de coloribus artis. Illi enim ad placitum pictorum variantur, nec dantur certæ proportiones.

Sed dubium occurrit, circa hoc quod dictum est, quod ad colorem concurrunt perspicuum, & terminatiuum, & queritur si hoc perspicuum est aereum, an aqueum. Similiter cum terminare attribuitur sicco, queritur si hoc terminatiuum, est siccum igneum, an siccum terreum.

Ad hoc dicitur, quod illud perspicuum indifferenter potest esse aereum, & aqueum cum sint ex natura perspicua, & sine lumine, receptiua autem luminis. unde & commentator in libro de sensu, & sensato ibi. (neesse est igitur vt color, &c.) attribuit luminosum, quod concurret in colore, igni: perspicuum autem indifferenter attribuit aeri, & aque. Quantum autem ad siccum terminatiuum, dico quod est terreum, & non igneum. Tale enim siccum debet esse condensatiuum, non enim dyaphanum terminatiuum, nisi condensetur, aut aliquod densum post ipsum ponatur, vt in speculo vitreo. Sed siccum igneum non est condensatiuum, imo rarefactiuum, vt adiunctum calori, ergo debet esse terreum, quod ex natura terræ, est opacum & grossum.

QVAESTIO XVI.

Quæ sint principia saporis, & quid sit.

Quem admodum ergo qui lauant in humido saporis & colores talcm faciunt habere aquam. Textu 50.

Iauel. Tom. iij.

Philosophus reprobat opinionibus antiquorum de sapore, hic concludit, quæ sint principia ex quibus generatur, & quid sit. Nos ergo ad resolutionem huius, dicemus quatuor, primò, quæ sint principia materialia. secundò, quæ actiua. tertio, ponam definitionem. quarto, solam dubium.

Circa 1. aduerte, vt dictum est in quarto Meteororum, qualitatum secundarum inter quas computatur sapor, principia sunt qualitates primæ. Sed differenter. nam siccum & humidum sunt principia passiuæ & materialia, calidum autem & frigidum sunt principia actiua. Loquentes ergo de principijs materialibus saporis dico quod sunt humidum aqueum, & siccum terreum coniunctim, ita quod vnum nõ sufficit sine altero, & quidem quod humidum sit materia dupliciter declaratur. primò ex commentatore in libro de sensu ibi. (Et signum quod natura humidi, &c.) secundò ex philosopho in text. 46. & 47. qui tenet cum antiquis, aquam quidem esse principium saporis, & in hoc non dissentit ab eis, sed in hoc quod philosophus non approbat, solam aquam sufficere, vt dicebant illi. Sed oportet humidum aquæ immisceri sicco terrestri.

Quod autem siccum terreum sit principium saporis declarat philosophus in text. 47. vbi signis manifestat, quod aqua transiens per varias species terræ contrahit varios saporis.

Quod autem sapor non fiat per solum humidum aqueum: sed ex admixtione sicci terrestri, probatur multipliciter, primo ex textu 46. in fine, sic omnes saporis inueniuntur in corporibus habentibus grossitudinem aliquam. ratio autem grossitudinis attribuitur primo terræ: ergo in omni sapore requiritur siccum terreum admixtum humido. Item in text. 51. probat idem ex esca saporosa, quæ non est purum humidum nec purum siccum, sicut nec animal quod nutritur ex ea. Item commentator in lib. de sensu ibi (& cum ita sit, sapor necessario, &c.)

Quæ autem, sint principia actiua, dico cum philosopho, quod est calidum digerens humidum, & commiscens sicco, quod probatur tripliciter. primò per philosophum in text. 53. sic idem est principium actiuum nutritionis, & nutrimenti, cum ordinetur nutrimentum ad nutritionem. sed calor est principium actiuum nutritionis ex secundo de anima: ergo & nutrimenti. Si nutrimenti ergo & saporis, quæ est passio nutrimenti. nam idem est productiuum subiecti: & eorum quæ naturaliter ad subiectum consequuntur. secundò, dictum est in quarto meteororum, quod digestio est à calido, sed saporis rerum producuntur per digestionem, & secundum variationem digestionis variantur saporis, vt videmus in vua, quæ ante maturitatem habet vnum saporis, in maturitate autem alium. tertio ex commentatore in libro de sensu, & sensato ibi. (quando fiunt digesta ex calore aliqua digestionem, &c.)

Circa 3. s. quid sit sapor, diffinit philosophus in text. 50. Sic sapor est passio id est, passibilis qualitas, de tertia specie qualitatis, facta in humido aqueo cum admixtione sicci terre: per actionem calidi, quæ gustum secundum potentiam, alterando reducit in actum. Hanc quidem definitionem sufficienter declarat philosophus & Beat. Thom. in eodem text. præcipue quo ad vlti. partem. Quod enim causetur ex humido & sicco, & per actionem calidi, sufficienter declaratum est in antedictis.

Sed dubium occurrit circa principia materialia saporis, dictum est enim, quod non solum humidum, sed etiam siccum terreum, est principium, ergo sapor non est forma aut qualitas simplex, si ex his duobus componitur, quod tamè videtur falsum, quoniam nulla forma accidentalis, est intrinsecè composita, vt diximus supra de colore, & determinauimus in lib. 12. metaphysicæ.

Ad hoc responderet Albertus in libro de sensu & sensato, quod humidum & siccum non sunt principia materialia ex æquo, nec sub eadem ratione: nam solum humidum est subiectum saporis: sed ratio quare est subiectum, est ipsum siccum terreum, ita quod sine eo non esset: unde potius est ratio subiecti, quam subiectum. Sicut supra diximus de colore, quod diaphanum est subiectum & receptiuum coloris, ratio autem recipiendi, est terreum opacum terminatiuum. Dico ergo quod licet humidum, & siccum sint principia materialia saporis, tamen non est sapor quid compositum intrinsecè, sed esse saporis est esse humidi tantum, virtute tamen sicci.

QVÆSTIO XVII.

*Quomodo generantur extremi, & medij sapes.
Quomodo autem colores medij ab albi &
nigri commiſſione Textu 54.*

Circa hunc textum primo aspectu occurrit dubium, quomodo sit verum, quod medij colores componantur ex admixtione extremorum, cum non se compantur contraria in eodem, sed hanc quæſtionem diſcuſſimus in decimo metaphyſici. Ideo pertranſeo. Quæramus ergo quomodo generantur extremi ſapores, deinde medij, & vt faciamus aliquam reſolutionem, dicemus tria: primò, vnde ſumenda eſt cauſa ſaporum extremorum: ſecundò, quomodo generantur dulce & amarum: tertio, quomodo medij, & quomodo ordinantur inter extrema.

Circa 1. aduerte, quod ſapor cauſetur à calore digerente, & humido admixto cum ſicco, dubium poteſt eſſe. Si productio & diſtinctio extremorum ſaporum, ſumenda eſt, ex calore diuerſimodè ſe habente vel ex humido. De ſicco non eſt dubium, quoniam diximus, quod ſiccum nõ eſt ſubiectum ſaporis, ſed potius eſt ratio, quod humidum ſit ſubiectum. Suppoſito ergo, quod dulce, & amarum ſint extrema, eo quod omnes concordant in hoc, dico quod non eſt ſumenda à calore: ſed ab humido. Si enim ſumeretur à calore eſſet neceſſe alterum cauſari à calore intenſo magis conſumente, quam decoquente humidum, & hoc eſſet amarum. Alterum autem cauſari, à calore remiſſo, non poteſt digerere humidum, nec conſumere, & hoc non eſſet dulce: ſed auſterum, vt dicemus. Vnde dulce eſſet medium, eo quod arguit temperatum calorem, ſufficienter digerentem humidum, & non multum conſumentem: ſumenda eſt ergo ex parte humidi, vt diuerſimodè patitur à calore. poteſt autè duobus modis pati. primò quod ſufficienter digeratur, & non conſumetur. ſecundò quod magis conſumatur ex intenſione caloris, quam digeratur, ex his duobus modis ſumi generatio dulcis & amari videbitur.

Sed contra hoc eſt dubium, nam commenta. in libro de ſenſu, & ſenſato ibi: (& modi ſaporum, &c.) dicit quod ſapores diuerſificantur ſecundum diuerſitatem humidi & ſicci. ergo non tantum ſecundum diuerſitatem humidi.

Ad hoc dicitur quod minus humidum infert magis ſiccum, & quia in ſapore amaro, eſt minus humidum per conſumptionem, ideo in eſt magis ſiccum. Dico ergo quod commentator non contrariatur ſupradictis, quod enim nos attribuiamus humido magis conſumpto ex intenſione caloris, quam digeſtione commentator attribuit ſicco, quod correlariè ſequitur ad humidum conſumptum.

Circa 2. ſcilicet, quomodo generatur dulce & amarum B. T. in expoſitione text. 54. & Albertus in libro de ſenſu tractatu 2. c. 7. tenent, quod dulcedo generatur, quando calor temperatus, ſuauius decoquit humidum, non conſumendo, ſed ſubtiliando, quaſi reducens ad humidum aereum, quod eſt ſubtile & bene commiſcendo ſicco terreſtri, vnde dulcia ſunt ſubtilis ſubſtantia & leuia, & optimi nutrimenti, ſicut dixit philoſophus in tex. 53. quod omnia nutriuntur dulci ſimplici, aut commixto. Amaritudo autem generatur quando calor inrentus obtinet ſuper humidum conſumendo potius, quam decoquendo & ſubtiliando. vnde ſiccum remanet aduſtum, & propterea amara ſunt calida, & ſicca terreſtria multum; propterea dixit commentator in libro de ſenſu (Amaritudo attribuitur caliditati & ſiccitati.)

Circa 3. ſcilicet, quomodo generantur medij ſapores, & diſtinguantur & ordinantur Dico ſecundum philoſophum in text. 55. quod generantur ſecundum quod magis vel minus, decoquitur humidum, vel conſumitur, nam ſecundum quod magis vel minus decoquitur ſine conſumptione. ſic multiplicentur ſapores reſpiciendo dulcedinem à qua declinant, ſecundum autem quod magis vel minus conſumitur à calore intenſo, multiplicentur ſapores, reſpiciendo amaritudinem, à qua declinant. Sequendo ergo hæc fundamenta ſic ordinandi ſunt ſapores medij, vt innuit philoſophus in textu.

Dulces
Pinguis
Ponticus
Auſterus
Stipticus
Acutus
Salſus
Amarus

Pinguis vel vinctuoſus immediate ſequitur ad dulcem & conueniunt in perfecta digeſtione humidi à calore temperato facta. Sed diſconueniunt in ſicco terreſtri: nam in dulci, ſiccum terreſtre non ita tenet humidum, concatenatum, ſicut in pingui, & vinctuo

ſo, & hoc indicat ſua viſcoſitas, quæ eſt quaſi concatenatio partium humidarum, per ſiccum bene commixtum: vt dictum eſt, in quarto meteororum.

Ex parte autem amari immediate ſequitur ſalſus, conueniunt enim in humido conſumpto, ex intenſo calore, & in ſicco aduſto. Diſconueniunt tamen, quia in amaro eſt maior conſumptio humidi, vt declarat B. T. in expoſitione. vnde de & Albertus dicit, quod non differunt, niſi per maiorem, & minorem conſumptionem humidi.

Ex parte dulcis, ad pinguem ſequitur ponticus, i. mordicatus, & auſterus id eſt, acris, & iſti duo cauſantur, non ex conſumptione humidi, ſed ex indigeſtione humidi, eo quod calor paruus eſt, qui eſt cauſa indigeſtionis, vt dictum eſt in quarto meteororum. Differunt tamen in hoc, quod vt dicit Albertus, ponticus cauſatur ex multo terreſtri, quod propter defectum caloris non eſt ſubtilitatum: Auſterus autem cauſatur ex calido alterante ſiccum, quod alteratum, alterat humidum, ſed non perfecte decoquitur, vnde fructus ante maturitatem habent ſaporem auſterum, id eſt acrum.

Ad auſterum ſequitur Stipticus, qui eſt multi terreſtris, & magna ſiccitatis. Sed plus habet de calido digerente, nam quædam matura, etiam ſunt ſtptica, vt fructus forbæ, & ſemen mirti.

Ad ſtpticum ſequitur acutus, qui tenet ſe magis à parte ſalſi non quidem propter conſumptionem humidi, ſed propter intenſum calorem non comburentem, ſed acuatem ſiccum terreſtre, & iſte ſapor in eſt calidis multum virtualibus, vt piperi, ziziberi, aleo, ſinapi, &c.

Sed videtur, quod philoſophus ſit diminutus, non enim poſuit acetolum, qui tamen videtur diſtinctus ab aliis, vt guſtu iudicamus.

Ad hoc dicitur ſecundum B. Th. quod non diſtinguitur ab auſtero, vnde ipſe exponit auſterum id eſt, acetolum. Si tamen id non placet, quia videtur repugnare ſenſu guſtus, dices cum Albert. quod differunt in hoc, quia auſterum eſt ante completam digeſtionem. Acetolum autem eſt poſtquam ex acutis humidis, vt ex vino, euaporauerunt partes calidæ ſubtiles. Vnde acetum eſt frigida ſubſtantia, licet a cutæ actionis. Dico ergo quod quo ad humidum, & defectum calidi non diſtinguntur. Sed tantum in hoc, quod auſterum dicit defectum calidi ante completam digeſtionem. Acetolum autem dicit defectum calidi per euaporationem, poſt completam digeſtionem, & maturationem, vnde quia conueniunt in defectu calidi philoſophus non diſtinxit eos.

Hæc dixerim de mediis ſaporibus, quæ tamen indigent maiori diſcuſſione, ſed id relinquo magis expertis, mihi aliud non occurrit, nec aliud potui inuenire. Apud commentatorem nihil in particulari habetur, vt patet in ſuo libro de ſenſu & ſenſato.

QVÆSTIO XVIII.

Quæ ſunt principia odoris, & quomodo generantur, & quid ſit.

Quod enim facit in humido ſiccum, hoc facit in alio genere enchimum. Tex. 59.

Circa naturam odoris, dicam quatuor, primo quæ ſint principia ſua. ſecundò, quomodo generatur, tertio, quid ſit. quartò, ſolum dubium.

Circa 1. aduerte, quod vt ponit Albertus in libro de ſenſu tractatu 2. c. 9. illa quæ ſunt principia ſaporis ſunt principia odoris, quoniam odor ſupponit ſaporem in odorabili: vnde commentator in libro de ſenſu ibi. (De odoribus autem) dicit, quod materia id eſt, ſubiectum odoris eſt ſapor, quoniam omne habens odorem habet ſaporem. Tu vero intelligas ſaporem eſſe materiam odoris id eſt, humidum ſaporolum, quod ſupra diximus, eſſe humidum aqueum admixtum ſicco. Ad odorem igitur concurrunt humidum, & ſiccum & calidum, ſicut ad ſaporem. Sed in hoc eſt differentia, quod in ſapore prædominatur humidum, in odore autem ſiccum. vnde diſponenda ſunt hæc principia oppoſito modo in productione odoris. Dico ergo ſecundum B. T. & Albertum, quod in ſapore, humidum eſt principium paſſiuum, actiuum autem eſt ſiccum, terreſtre, & calidum decoquens humidum ac permixcens cum ſicco. In odore au-

tem siccum est passuum, actiuum vero, est humidum enchimum id est, incorporatum sicco, quod idem est, quod humidum saporosum & calidum resoluens: nam calor agens cum humido saporoso, resoluit siccum calidum, quod non est aliud, quam quidam spiritus, & hic spiritus, qui est pars ignea sicca resoluta, est primum subiectum odoris, vnde commentator dicit in libro de sensu ibi. (Et quia odores) Attribuit odori siccitatem, & caliditatem, quæ fit, id est, resoluitur, ex humiditate saporosa.

Sed hic est dubium, quia dictum est, quod primum subiectum odoris est siccum resolutum ex humiditate saporosa, nam B. T. in expositione tex. 59. dicit, quod principium passuum odoris, est aer & aqua, vt videtur dicere philosophus, ergo non siccum.

Ad hoc dicitur, quod B. T. & philosophus, vt etiam Albertus exponit, quando dicit aerem & aquam est principium passuum, sumit principium passuum, non pro primo subiecto vel materia: sed pro medio deferente odore, eo quod odoratus fit & per aerem, & per aquam, vt declarat infra philosophus.

Circa 2. quomodo scilicet, generetur odor, dico quod ordine naturæ subsequitur saporem. vnde imaginandum est, quod ex humido aqueo & aereo cum admiscetur sicco terrestri, & humidum aqueum decoquitur à calore, fit sapor. Cum autem sapor productus est, tunc calor agens in illo humido saporoso, quod est idem cum enchimo resoluuit ex eo siccum calidum, quod est idem cum odore, vel primum subiectum odoris. Hęc de generatione odoris, nec plura possum imaginari.

Circa 3. scilicet, quid sit odor difficile est inuenire, nec philosophus, nec commentator, nec B. T. nec Albertus diffiniunt. Stantibus tamen principiis prædictis potest extrahi talis definitio. Odor est impressio id est, qualitas causata ex humido saporoso, per calorem resoluentem, subiectiuè existens in sicco subtili calido, euaporante à corpore odorabili. Secundum autem B. Th. in expositione secundi libri de anima super text. 95. subiectiuè existit in sicco aereo con temperato. Sicut sapor existit in humido aqueo aliquantulum digesto. Secundum autem Albertum subiectiuè existit in spiritu, i. in parte sicca ignea temperata tamen, quæ resoluuitur ab humido enchimo. clariore nõ inuenio diffinitionem, nec potest à nobis inuestigari, eo quod inter animalia, malum ac imperfectum habemus odoratum, ideo dicit philosophus in secundode anima tex. 92. (non enim manifestum nobis est, quale quod sit odor, sicut sonus, causa autem est, quia sensum hunc non habemus certum, &c.)

Sed in textu philosophi, est dubium: nam arguit contra antiquos, quod odor non sit fumalis euaporatio, & tamen supra in tex. 26. concessit hoc, ex eo concludit, odoratus organum attribuendum igni.

Ad hoc dicitur dupliciter, primo, quod in tex. 26. concessit hanc, odor est fumalis euaporatio, non quidem essentialiter, sed casualiter, vel materialiter, id est quia est subiectum odoris, vt diximus. Hic autem, negat, ad sensum antiquorum, ipsi enim credebant illam euaporationem, esse essentialiter, & formaliter odorem, & contra hoc arguit philosophus, vt videbis.

Secundo dicitur, ad mentem Alberti, quod philosophus hic negat, odorem esse euaporationem, prout habet esse in medio, pura in aere, & defertur ad odoratum. Nam vt declarat B. T. in 2. de anima, super text. 97. contingit sentiri odor, per maximam distantiam, ad quam est impossibile, euaporationem pertingere, etiam si totum odorabile resoluere, & quia eruditus & alij antiqui credebant, nunquam esse odorem, nisi vbi esset talis euaporatio, propterea contra hoc arguit philosophus, & hęc responsio est magis consona literæ. Arguit enim philosophus, odorem esse in aqua vt in medio, non tamen euaporationem. Item colorem sentiri non per defluxum à corporibus visis vt dicebat Democritus, ergo & odorem sentiri, etiam sine reali euaporatione existente in toto medio. Ex hoc tamen non negandum est, quin in aere propinquo odorabili, vel in aqua non recipiatur realis euaporatio, resoluta ex odorabili, vt concedit B. T. in 2. de anima, super tex. 97. ibi. (& ideo dicendum est.)

Q V A E S T I O X I X .

De speciebus odoris, quæ correspondet speciebus saporum.

Manifestum quod oportet proportionales esse odores humoribus. Textu 63.

Circa species odorum, aduerte quod philosophus idem pertractat in 2. de anima textu 95. & enumerat eas, ac denominat sicut species saporum. Quomodo autem generentur & distinguantur, philosophus nec aliquis eius expositor exquisitè declarat, cuius causam puto esse, quam dicit philosophus ibidem, quoniam non bene cognoscimus naturam odoris, ex nostro imperfecto odoratu, ideo non bene attingimus species odorum, & propterea satis visum est philosopho, proportionare species odorum, speciebus saporis, præcipua cum causetur odor ex humiditate saporosa, vt diximus supra. Aduerte tñ, quod nec est vniuersale & semper verum, quod istæ species, sibi correspondeant, nam aliquando res habet dulcem saporem & amarum, aut alium odorem, cuius causam assignat B. T. in 2. de anima, super tex. 95. ibi. (Sed sciendum est.) Item licet philosophus in 2. de anima, in eodem textu faciat correspondere, dulcem saporem dulci odori, & e conuerso, & amaro saporis, amarum odorem, hic tamen amaro saporis facit correspondere putridum odorem, quem dicimus foetorem, non quia non de tur amarus odor, sed quia amarus sapor & foetor conueniunt in hoc, quod maximè offendunt, ille quidem gustum, qui est sensus nutrimenti, quod maximè saluatur in dulci, eo quod bene nutrit, vt dixit supra philosophus. Hic autem maximè offendit odoratum humanum, licet non aliorum animalium, vt dicit philosophus infra. Non enim fugiunt foetores, nisi sint corruptiui complexionis. Igitur de speciebus odoris, sic pertranseo. Nam & Albertus in 2. de anima in tract. 3. in c. 24. incipit declarare superficialiter, quomodo correspondeant saporibus, & quomodo diuersificetur promittens se sufficienter determinaturum de his in libro de sensu & sensa. sed nec illic compleuit, & arbitror id euenisse, quoniam nec ipse, potuit id sufficienter inuestigare.

Q V A E S T I O X X .

Si homo melius discernat differentias odorum, quam bruta.

Aduerte quod hoc dubium mouetur propter commentatorem in li. de sensu ibi. (Itud. n. instrumentum, &c.) dicit. n. quod homo melius distinguit differentias sensibilem olfactus, quam cætera animalia. Sed hoc videtur contradicere philosopho dixit enim supra, in tex. 44. naturam saporis esse nobis manifestiorem, quam sit natura odoris, eo quod peiorem habemus odoratum. Idem dicit in 2. de anima text. 92. & 95. & illic dicit species odoris esse nobis non multum manifestas, propter causam prædictam.

Ad hoc respondet B. T. in libro de sensu & sensato, super tex. 66. ibi. (Dicit ergo quod odorabile, &c.) & responsio est in hoc. Odor dupliciter sumitur. primo, est odor, qui secundum se est delectans vel tristans odoratum, dato quod non ordinetur ac cibum, quærendum vel fugiendum, sicut odor rosarum, aut Lilij, &c. secundo est odor, qui ordinatur ad cibum & correspondet saporis, & per talem odorem, excitantur animalia ad quærendam escam. Dico igitur, quod dictum commentatoris debet intelligi de differentiis odoribus primo modo. Ille enim est proprius hominis, vt declarat philosophus in textu 66. philosophus autem, supra, in tex. 44. & in 2. de anima, intelligit de odore secundo modo, quem etiam distinguit, in species, primum autem non distinguit, quia tales odores diuersificantur secundum naturam odorabilem. vnde alius est odor rosæ, alius lilij, &c. Nulla ergo est repugnantia inter philosophum & commentatorem.

Q V A E S T I O X X I .

Si species saporum, & odorum sunt finitæ.

Quare terminatæ sunt species coloris & saporis. Text. 74.

Circa hunc text. accidit dubium, quoniam dicit commentator in lib. de sensu & sensato, ibi. (& quia colores sunt, &c.) quod necesse est vt colores sint infiniti in natura hæc ille, ergo vel philosophus vel commentator male dixit. Vtranque sententiam concordare possumus, per distinctionem, quam innuit Albertus in libro de sensu, tractat.

tertio, ca. 1. Quæ talis est, colores & sapes, &c. dupliciter possunt multiplicari, primò, secundum diuersas proportiones numerales secundum, quas connectuntur prima corpora adinuicem, puta quod luminosum, vt sex, admisceatur opaco vt quatuor, &c. & luminosum vt octo, opaco vt duo, & sic dico, quod colores & sapes sunt finiti, quoniam datur maxima, & minima compositio horum adinuicem, puta luminosum, vt nouem stat cum opaco vt vnum, & opacum vt nouem stat cum luminoso, vt vnum. secundò possunt multiplicari sine commixtione proportionali numerali, sed ex eo quod adinuicem commiscetur inæqualiter fin magis & minus, puta quod insit magis de lucido quam de

opaco vel econuerso, non tamen sub certo numero. primo quidem modo sunt finiti, eo quod inter duos numeros, non dantur numeri medij infiniti, & in hoc sensu loquitur philosophus. secundo autem modo, possunt multiplicari in infinitum, eo quod secundum magis, & minus possunt diuersificari in infinitum, compositiones primorum corporum, & in hoc sensu videtur loqui Auerrois. Ipse enim non facit mentionem, de diuersitate compositioum penes proportionem numeralem, sed tñ penes secundum magis, & minus, vel secundum superabundantiam & defectum. Sic p nunc dicerem.

Explicit liber super de sensu & sensato.

D. CHRYSOSTOMI IAVELLI,

Canapicij,

QUÆSTIONES SUPER LIBRUM

de Memoria & Reminiscencia.

QUÆSTIO I.

De memoria vt potentia est, quid sit, &c.

Est quidem igitur memoria neque sensus neque opinio, &c. Textu 3.



Irca memoriam vt potentia animæ est, inuestiganda sunt quatuor. primò quid sit. secundò, in qua parte animæ sit. an in sensitiua, an in intellectiua. tertio, supposito quod sit in sensitiua, vbi est organum suum. quartò, mouebo dubium, & solua.

Circa 1. aduerte, quod apud philosophum in libro de memoria, & reminiscencia, non aperte habetur quid sit, sed cuius obiecti, i. quomodo fertur super obiectum suum, non quidem vt in præfenti cognitum, nec vt futurum, nec absolute, hoc enim est proprium intellectus, sed vt in præterito apprehensum. vnde ex philosopho possum extrahere solum hanc descriptionem. Memoria est quæ fertur super obiectum, vt in præterito apprehensum. Dico autem vt in præterito apprehensum, quoniam non est necesse illud cuius recordamur esse præteritum secundum suum esse: sed suam apprehensionem iam fuisse, vt declarat B. Th. exponens ibi. (Ex quo patet quoniam non est intentio philosophi.)

Quia igitur philosophus, quid sit essentialiter non exprefit: ideo Auic. in 6. naturalium, & Auerrois in commento super librum de memoria & reminiscencia, & Albertus super eundem librum omnino imitans Auerroem, conantur inquirere quid sit, vt igitur in hoc te resoluas, aduerte quod memoria dupliciter consideratur. primò, vt est retentia intentionem non sensatarum, quas extrahit existimatiua vel cogitatiua ex speciebus sensatis, vt est intentio amicitia aut odij, &c. & sic diffinitur ab Auic. & Algazelle. Memoria est potentia conseruatiua intentionum non sensatarum, sicut fantasia est conseruatiua specierum sensatarum. secundò consideratur, vt per ipsam, animal reddit ad rem exteriorem prius per sensum apprehensam, quasi iterum intuentiam, quæ memoratur, p speciem rei & intentionem eiusdem, quam intra se habet intuetur rem prius apprehensam, ac si præfens esset, & sic diffinitur ab Alberto in lib. de memoria & reminiscencia. Memoria est virtus, qua anima p sensibilia existentiæ apud ipsum, reuertit in res sensibiles, quæ sunt aut fuerunt extra. Tunc. n. primo perfectus est motus sensibilem, non. n. sensibilia accipit anima, nisi vt p ipsa, in res sensibiles deueniat.

Circa 2. aduerte quod memoria dupliciter sumitur. primo pro virtute conseruatiua habitualis cognitionis rerum in vniuersali, vel immaterialium, & sic potest esse in parte intellectiua, vt declarat B. Th. in 1. parte q. 79. secundò, pro virtute conseruatiua intentionum individualium extractarum ex speciebus sensatis per existimatiua, aut cogitatiua, & sic est in parte sensitiua, quod probat philosophus in tex. 6. ibi. (Vnde & alteris) & comm. in com. libro de memoria & reminiscencia ibi (& manifestum est quod est de virtutibus comprehendendis, &c.)

Circa 3. dico duo, primo si distinguitur realiter à sensu communi, & conseruatiua. i. fantasia, quam Auic. vocat formalem Aue. aut imaginatiua, non. n. distinguit fantasiam ab imaginariua, licet Auic. distinguat: Item si distinguitur ab existimatiua, quæ est in bruto vel cogitatiua quæ est in homine. secundò, in qua parte capitis situatur. Quantum ad 1. aduerte, quod apud Auic. & Auer. & Albertum non est dubium, quin distinguitur à sensu communi, nam de ratione sensus cõis est recipere, non aut retinere, de ratione autem memoria est retinere. Sed in rebus corporeis, hæc duo non attribuuntur eidem quoniam, bene recipere conuenit molli, bene aut retinere conuenit duro. De fantasia autem & memoria difficius est, nam cum vtraque sit conseruatiua. videntur non distingui, & quidem si ad rememorationem sufficeret sola representatio speciei sensatae conseruatae in fantasia non possumus assignare distinctionem inter fantasiam & memoriã. sed quia requiritur etiã intentio non sensata vt dicemus, ideo deducimus ex duobus ad cognoscendam hæc distinctionem primò quia fantasia est conseruatiua speciei sensatae, memoria autem intentionis non sensatae fin Auic. & Auer. secundò Sicut se habent duæ interiores apprehensiuæ, ita duæ retentiuae, sed duæ apprehensiuæ. i. sensus cõis & existimatiua distinguuntur realiter. secunda. n. est spiritalior prima: ergo & duæ retentiuae. nam retentum in memoria spiritali est, quod retentum in fantasia, vt dicit com. in suo com. ibi (quintus autem est esse, &c.) Quantum ad 2. sc. in qua parte capitis situet organum memoriae, dico conseruatiua cum Auic. & Auer. quod in posteriori parte, quæ est magis sicca, & hoc vide in com. Aue. ibi. (& quia ista virtus est diuersa, & vsque ibi (declaratum est igitur, &c.) Sed aduerte quod licet ponat quinque loca, tñ non ponit nisi quatuor sensus interiores, p eodem. n. accipit imaginatiua, & fantasiam, & conseruatiua spirituum, & in hoc dissentit ab Auic. qui distinguit inter fantasiam, quæ vocat formaliter, & imaginatiua, vt declarauit in nostro compendio in 3. de anima, p locum igitur primum apud commentatorem intelliges locum exteriorum organorum, quibus alligantur sensus exteriores, quem locum, appellat duri corticis, eo quod organa exteriorum sensuum sunt duriora organum sensuum interiorum. Hic autem primus locus terminatur ad organum sensuum cõis. Inde secantur alia loca, vt per se patet in ipso commentatore. Sed contra hoc videtur esse philosophus in tex. 5. vbi dicit quod fantasia & memoria videntur esse passiones primi sensitiui. i. sensus communis: ergo non distinguuntur subiecto, à sensu communi, & per consequens nec inter se.

Ad hoc dubium aduerte quod Albertus in lib. de memoria, & reminiscencia tract. 1. c. 1. dicit aliquos tenere organum memoriae, esse positum in anteriori parte capitis, fundantes se super dictum philosophi adductum. Sed quia hoc repugnat principiis philosophi, eo quod si idem esset organum sensuum cõis & memoriae, ergo omne animal habens sensum cõem, haberet memoriã, quod est falsum secundum philosophum in 3. de anima, & secundum comm. in com. huius lib. cum dicit: Memoria autem inest omnibus animalibus imaginantibus, & existimatur quod multa animalium generum non imaginantur, sicut verum

vermes, & habentia conchas. Quomodo igitur sit verum dictum philosophi, expone sicut B. T. in expositione tex. 6. ibi. (Contingit tamen, quod) & intendit quod dictum philosophi est verum causaliter, & originatiue, sed non essentialiter: memoria enim incipit actum suum, ab actu sensus communis, vt declarabo in q. sequenti: vnde sicut ista est vera causaliter, fantasia est motus factus à sensu secundum actum, ita & ista recitata. Illa autem est vera, quia actio fantasie pendet à sensatione exteriori, nihil enim est in fantasia, qd prius non fuerit in sensu exteriori, aut secundum totum, aut secundum partem. Similiter expone istam, memoria, & fantasia sunt passiones sensus communis, id est; consequuntur actum sensus communis, & pendunt ab eo sicut posterius à suo priori. Hæc pro nunc sufficiant.

Q V A E S T I O I I .

Quid sit memoratio & quot potentia interiores concurrunt ad hunc actum & quo ordine.

Postquam locuti sumus de memoria quid sit: nunc loquimur de actu eius, qui dicitur memoratio vel recordatio. Et dicemus. Primò, quid sit.

Secundò quomodo differt, ab actibus aliorum sensuum interiorum. Tertiò quot potentia, ad hunc actum concurrant, & quo ordine.

Quantum ad inuenio duas diffinitiones conformes in sententia. Prima est commentatoris in suo commento in principio. Rememoratio est reuersio in presenti intentionis apprehensæ in præterito, id est tunc memoratur animal, cum ex imagine rei & intentione eiusdem, quam habet in seipso, reuertitur ad rem quæ est vel fuit ad extra prius apprehensam. Secunda diffinitio est hæc. Memoratio est recordatio de prius sensatis, cum prius factum fuerit tempus. Necessè est enim vt inter primam apprehensionem, & secundam intermediat tempus, aliter non est memoratio, vt dixit philosophus. Quomodo autem differat memorari, & reminisci dicemus cum loquimur de reminiscencia & reminisci.

Quantum ad 2. s. quò differat ab actibus aliorum sensuum interiorum, aduerte primò, quod si comparatur actui sensuum exteriorum, clara est differentia. Differunt enim sicut motus rectus, & reflexus, sentire. n. est motus rei ad animam. Memorari autem est motus animæ ad rem, per reuersionem, patet etiam quod differt ab actu sensus communis, non enim immutatur sensus communis, nisi dum res in presenti sentitur ab aliquo sensu exteriori, vnde philosophus in 3. de anima attribuit ei duos actus, primus est sensu communi cognoscimus actiones propriorum sensuum, secundò cognoscimus differentiam inter sensibilia duorum sensuum, & de hoc videtur B. Th. in 3. de anima lectione 2. & 3. per totum, patet autem quod nullus istorum actuum est memorari. Difficilius videtur quò differat ab actu fantasie, qui est conseruare, nam & memoratio est, quedam conseruatio. Opponuntur. n. memoratio & obliuio, obliuio autem est amissio, ergo memoratio est conseruatio. Sed iuxta commentatorem in suo commento huius libri. dicendum, quod conseruatio quæ competit fantasie, est conseruatio sine abscissione & interruptione. vnde dicit. Rememoratio autem differt à conseruatione, quia conseruatio est illius, quod semper fuit in anima postquam comprehensum fuit. Memoratio autem est conseruatio abscissa, i. eius quod fuit apprehensum, deinde fuit oblitum, & iterum reducitur ad memoriam propter quod conseruatio fantasie est sicut motus continuus. Memoratio autem est sicut motus interruptus, patet autem quod motus continuus, & interruptus distinguuntur realiter: ergo conseruatio fantasie, & rememoratio distinguuntur realiter. Quod autem differat realiter memoratio, & actus existimatiuæ siue cogitatiuæ, ex principiis Auic. & Auer. probatur, nam actus existimatiuæ aut cogitatiuæ, est apprehendere intentionem non sensatam, memoratio autem sequitur actionem existimatiuæ, vt declarabo: ergo distinguuntur realiter.

Circa 3. quot potentia ad memoratorem concurrunt, dico quod omnes sensus interiores secundum commentatorem. Sed antecedenter concurrunt sensus communis & fantasia & existimatiua siue cogitatiua essentialiter autem fit à fantasia & memoria & existimatiua, & quod concurrat sensus communis probatur, quia ante memoratorem necesse est rem memorabilem iam fuisse apprehensam, deinde fantasia suam esse conseruatum in fantasia: ergo non modo sensus communis, sed & fantasia antecedit memoratorem.

Quod autem antecedit existimatiua aut cogitatiua declarat Albertus in suo lib. 1. trac. 1. c. nam memoramur, quando per imaginem, quam habemus in anima, distinctè feruntur in rem iam apprehensam. Ad hoc ergo quod feramur in rem, indigemus imagine & figura conseruata in anima, sed hæc imago non sufficit vt distinctè feramur in hanc rem & non in illam: quia si hoc esset verum, tunc distinctè cognosceremus, quamlibet rem cuius figuram apud haberemus, sed hoc nõ potest esse, cum multa sit similitudo in figuris rerum, vltra igitur figuram rei, indigemus cognoscere hanc figuram, esse huius rei & non alterius. Hæc autem operatur existimatiua quæ elicit intentiones non sensatas, v. g. possibile est, quod canis assimiletur lupo. Videat igitur ovis & canem & lupum, signabuntur istæ figuræ consimiles in fantasia ovis, nisi existimatiua ovis ex figura lupi extraheret intentionem inimicitia, non magis reduceretur memoria ovis, in considerationem lupi, quam in considerationem canis. Vt ergo memoria reducat distinctè, in rem iam apprehensam, indigemus existimatiua, quæ iam extraxit intentiones non sensatas. Quo autem ordine fiat memoratio, dico secundum doctrinam commentatoris in suo commento ibi. (& ideo considerandum est quomodo, &c.) quod primò fantasia presentat imaginem rei memorabilis. secundò memoria presentat intentionem non sensatam. tertio existimatiua quæ separauerat hanc intentionem ab imagine, iterum componit eas ad inuicem, & tunc per congregationem harum trium virtutum presentatur res oblita memoranti. Hoc quidem modo fit memoratio vt videbis apud commentatorem in eodem loco, nec clarius aliquid excogitare potui.

Ex his patet, quod nullus sensuum interiorum, est totalis causa memoratorem, sed ex tribus fit vna completa, nam de ratione eius est, quod presentetur imago, & hoc est à fantasia, & presentetur intentio, & hoc est à memoria, & quod copuletur imago cum intentione, & hoc est ab existimatiua vel cogitatiua. vnde patet quod virtus totalis memoratiua complectitur tres. Sed dices, si memoratio fit à tribus quare denominatur à sola memoria. Dico id esse, quoniam à memoria presentatur intentio rei, sine qua, nunquam reduceretur animal distinctè in rem prius apprehensam, vt declarauimus ex Alberto, & ideo quia principaliter fit rememoratio propter talem intentionem exhibitam à memoria, denominatur memoratio à sola memoria.

Q V A E S T I O I I I .

Quid est reminiscencia & quomodo differt ab iterum addiscere, vel iterum inuenire, & quomodo fit, & quid addit super memorari.

De reminisci autem primum est dicere.

Circa reminiscenciam. Primò aduerte, quod potest sumi, pro potentia, & pro actu. Si sumatur pro potentia, cum inueniatur in solo homine, non differt à memoria hois, nisi secundum rationem, eadem. n. potentia dicitur memoria, vt reuertitur ad rem prius apprehensam, sine inquisitione & collatione. Dicitur autem reminiscencia, vt reuertit cum inquisitione & quodam discursu: vnde quædam differentia est inter intellectum, & rationem in homine, tanta est inter memoriam & reminiscenciam. Si sumatur pro actu, semper differt realiter memorari & reminisci, sicut apud intellectum differunt realiter, simpliciter apprehendere, & discurre. Loquendo ergo de reminiscencia, vt est actus, videndum est primò quid sit, &c.

Aduerte igitur quod triplicem inuenio diffinitionem, prima est commentatoris in suo commento. huius lib. ibi. (inuestigatio autem:) & dicit Inuestigatio per rememorationem, est inquisitio intentionis apprehensæ in præterito, per voluntatem, & facere eam presentari post absentiam: Secunda est B. Th. in expositione tex. (Sed cum resumatur,) & dicit Reminisci est, quidam motus ad memorandum scilicet illud quod à memoria exciderat. Tertia autem, & magis completa est hæc. Reminisci est reassumptio vel reinuentio notitiæ elapsæ à memoria, ex aliquo principio in memoria retento, & per hoc, quod dicitur ex aliquo principio retento in memoria, differt ab iterum addiscere, & iterum inuenire, qui enim iterum addiscit, prius obliuiscitur quod principij & deductionis, nec potest per seipsum reinuenire nisi per docentem. Similiter differt, ab iterum inuenire, eiusdem causis & hanc differentiam sufficienter pertractat B. Tho.

in expositione illius textus (& in hoc reminisci differt, &c.)
 Quomodo autem fiat iste actus. Aduerte quod sicut memorari fit à fantasia præsentante imaginem, & memoria præsentante intentionem, & existimatiua componente imaginem cum intentione.

Sic ad reminisci requiritur quod fantasia plures imagines ordinatas præsentet, & quod memoria plures, intentiones, & quod cogitatiua incipiat componere ordinate, propriam intentionem propriæ imagini, deinde incipiat discurre ab vna imagine coniuncta suæ propriæ intentioni, ad aliam imaginem sequentem, & ab illa ad aliam, donec memoretur eius, cuius oblita fuerat, & sic patet quod syllogismus, quidam fit in reminisci, qui quidem non est vniuersalius, hic enim fit à solo intellectu, sed est singularium tantum, discurremus enim ab vno singulari ad aliud, & ideo fit à cogitatiua, quæ dicitur ratio particularis apud commentatorem. Item patet quod sicut syllogismus vniuersalis, incipit ab aliquo principio vniuersali noto, per quod deuenimus in cognitionem alicuius ignoti, ita reminisci incipit ab aliquo particulari in memoria & fantasia retento, quo utimur ut principio, ad deueniendum in recordationem alicuius obliti. Tale autem principium, à quo incipimus reminisci aliquando est aliquod simile ei cui volumus reminisci, aliquando est ei contrarium, aliquando ei propinquum, ut declarat philosophus in illo text. (cum igitur reminiscimur, &c.) aliquando autem est locus. vnde & componentes memoriam artificialem, præcipue seruant ordinem locorum, aliquando autem est tempus, à quo incipimus reminisci puta si volo scire, quid feci ante sex dies pro principio vtor, quid feci hodie, inde heri, sic resoluendo, & hæc omnia tangit philosophus in textu ibi (maximè autem oportet, &c.)

Quæ differentia autem sit inter memorari, & reminisci, satis patet ex dictis, licet philosophus in textu. (quod qui-

dem igitur non idem, &c.) assignet tres differentias, quæ in extu patent. Aduerte tamen quod differentia sumpta ex tarte temporis, debet intelligi in solo homine. In quo reminiscencia comparatur ad memoriam, sicut motus ad terminum motus, ideo enim inquit homo de præteritis apprehensis, quodam ordine, ut habeat notitiam alicuius obliti, quod est memorari. Inquirere autem ordinate de præteritis apprehensis est reminisci.

Ad complementum autem huius considerationis, tria inquirenda sunt, primò, quæ sunt bene reminiscibilia aut memorabilia, & quæ non.

Secundò quare ex memorari & reminisci, tristatur aut delectatur homo, dato quod memorabile non esset amplius existens in rerum natura.

Tertiò, propter quid aliqui sunt bonæ memoracionis aliqui autem non.

Ad primum respondet philosophus in textu (Vnde citissime.) & dicit quod cum reminisci fiat, quodam ordine, incipiendo ab aliquo principio, illa sunt bene memorabilia, quæ sunt ordinata, sicut demonstrationes mathematicæ, quarum secunda pendet à prima, & tertia à secunda. Vnde qui docent, conantur ordinare conceptus ut audientes melius retineant, Commentator etiam in commento suo ibi (formæ autem facilis reductionis, &c.) dicit quod multum corporea sunt bene memorabilia, eo quod optimè signantur, & seruantur eorum imagines in fantasia. Vnde auditæ, historiarum facile recordamur, quæ autem sunt parum corporea cum difficultate recordamur propter causam oppositam supradictæ.

Ad 2. & 3. respondet com. in com. suo ibi. (Dicamus igitur quod rememorans, &c.) vsque in finem commenti.

Explicit de memoria & reminiscencia.

D. CHRYSOSTOMI IAVELLI, CANAPICIJ, Ordinis Prædicatorum,

TRACTATUS DE BONA FORTUNA.



Volentes tradere, notitiam de bona fortuna secundum opinionem Aristotelis distinguemus, præsentem tractatum, in quatuor capita. In primo inuestigatur, quid sit bona fortuna.

In secundo declaratur circa quæ bona, ponitur esse.

In tertio inuestigatur, quod genus hominum dicitur bene fortunatum.

In quarto declaratur, quot proprietates habent bene fortunati.

CAPUT I.

Quid sit bona fortuna.

Circa 1. caput, nota secundum philosophum in libr. de bona fortuna, quod sic diffinitur. Bona fortuna est naturalis impetus, causatus à Deo in anima nostra, ut est motor totius naturæ. Primò dicitur naturalis impetus, id est naturalis inclinatio, ad aliquod bonum, prosequendum, puta ad inueniendum thesaurum, & dicitur naturalis, non quod sit, ut in pluribus hominibus, imò est ut in paucioribus, sicut etiam dicimus, quod homo naturalem inclinationem habet ad virtutes, & tamen pauci sequuntur virtutes. Quomodo autem sit naturalis impetus. Nota quod in homine est, duplex impetus, id est inclinatio, scilicet rationis, & voluntatis. Item impetus rationis, id est intellectus est duplex, id est impetus, rationis ut ratio est, & impetus rationis, ut quædam natura est. Et isti sic distinguuntur, nam ratio potest moueri ad aliquod bonum dupliciter. primò à seipsa, ut est actiuata, specie intelligibili. Secundò à deo ut à primo mouente cui subicitur omne mobile.

Quando mouetur à seipsa dicitur impetus, rationis ut ratio est, sed puta, quando ratio per speciem pomi cognouit bonum esse pomum, mouetur & inclinatur ex sua cognitione ad pomum.

Quando mouetur à Deo dicitur impetus, rationis, ut est natura quædam, non enim tunc mouetur, ab bonum, ut præ cognitum: sed sic directa à primo motore. Eandem distin-

tionem, intellige ex parte voluntatis. Nam voluntas potest moueri ad bonum, & à seipsa, & à Deo. Quando mouetur à seipsa dicitur impetus esse in voluntate ut voluntas est.

Quando mouetur à Deo, dicitur impetus esse in voluntatem, ut natura, quædam est, & talis impetus dicitur naturalis. Dicitur igitur, quod bona fortuna est impetus naturalis id est, inclinatio causata in voluntate, ut est natura, quædam & non in quantum voluntas, dicitur secundo causata à Deo, ut excludatur impetus, qui causatur prima ratione, vel voluntate, ut mouetur à seipsa.

Dicitur Tertio ut est motor totius naturæ. Nam Deo omnia rem naturalè ex sua prouidentia mouet in debitum sibi bonum. Sic & voluntatè potest inclinare ad prosequendum aliud quod bonum non præcognitum per præcedentem, discursum rationis. Et talis inclinatio, sine cognitione, præcedente dicitur Bona fortuna. Nam, ut ait philosophus in libro de bona fortuna. Si quæras à bene fortunato, quare sic operatur, quare hic fodiat, & non illic, respondebit se nescire, nisi quod cor sic dicit sibi, credens se impelli ab aliquo principio extrinseco. Vnde bene fortunati assimilantur iis, qui mouentur à Deo æterno. Tales, ut sic moti à Deo secundum aliquam rationem, & præcognitionem, habent impetum ad consequendum aliquod bonum: ex his igitur patet quid sit bona fortuna.

CAPUT II.

Circa quæ bona ponitur.

Circa 2. caput videndum est circa, quæ bona ponit esse bona fortuna. Vnde nota, quod cum duplicia sint bona exteriora, ut diuitiæ, dignitas, dominium, honor.

Et interiora, quæ dicuntur bona animi, ut sciencia, & alij habitus morales, ac intellectuales, ex sententia Arist. & B. Th. in 3 lib. contra gentiles c. 92. fortuna bona ponit esse circa bona exteriora, & non circa bona animi cuius ratio est. Bona fortunæ præter intentionem sunt, ea, ut quæ à fortuna eueniunt, præter intentionem fiunt, ex 2. phys. Bona vero moralia, quæ sunt bona animi non eueniunt præter intentionem. Nam intellectuone, consistunt, ut patet in secundo, & tertio Ethicorum, ergo bona fortuna versatur circa bona

exteriora, & nō circa bona animi, propterea vt philosoph⁹. Nullus vtiq; iustum vel fortem, bene fortunatum dicit. Er- rit ergo fortuna respectu eorum bonorum, quæ non subi- ciuntur voluntati, vel electioni nostræ, qualia sunt bona ex- teriora. Ex quo sequitur correlariè, quod licet bona fortu- na adminiculet foelicitati humanæ, & præsertim foelicitati policæ, vt placet Aristot. in libro de bona fortuna, non ta- men ipsa est foelicitas humana, quia in nullo exteriori bo- num consistit iuxta sententiam philosophi in 7. li. polic. vbi inquit.

In nullo exteriori bono locanda est foelicitas, cuius rei nobis testis est Deus, qui beatus est, non propter aliquod bonum extrinsecum, sed propter seipsum, patet igitur cir- ca, quæ bona versatur bona fortuna.

CAPVT III.

Qui sint bene fortunati.

Circa 3. Capitulum videndum est secundum philoso- phum, & Egidium ibidem commentantem, qui sint be- nefortunati. Et dico quod sunt tria genera hominum. Primo qui sunt rudis, & tardi ingenij dicuntur benefortu- nati, non autem sapientes, & huius ratio est secundum phi- losophum, & Egidium, quia sicut Bruta magis, percipiunt naturales instinctus, & influxus cælestium corporum, qui- bus agunt vel patiuntur, quam homines, eo quod homines dediti rationi, & considerationi impediuntur ne tales, im- petus vel fluxus, percipiant, sic inter homines, magis sapien- tes, magis impediuntur ne tales, impet⁹ percipiant, vel pro- sequantur, eo quod nihil in consideratè, & nisi ex præcognitio- ne diligenti, aliquid agere volunt, hæc autem consideratio impedit bonam fortunam. Et propterea inquit philosoph⁹ in libro de Bonafortuna.

Vbi est plurima fortuna ibi est minim⁹ intellectus Hinc exorta sunt illa duo proueria, Primum cui inest bona for- tuna, ei paruum sufficit ingenium. Secundum pueri & in si- pientes, plerunque vaticinari solent. Operantur enim se- cundum impetus, & influxus, ab extrinseco siue à cælo siue à Deo, vt primo motore immisos, & non ex discursu ratio- nis, vel electionis.

Secundò, homines simplices id est, rebus agibilibus non dediti, sed solitariè, & priuati viuentes dicuntur bene for- tunati. Cuius ratio est secundum Aristotelem, in libro de bona fortuna. Quia sicut cæci non videntes varia visibilia, maioris, & fortioris sunt memoriæ eo, quod per visum non trahuntur ad varia obiecta, quibus distrahitur memoria, sic simplices, & solitarij, non distracti p varia agibilia, qui- bus quodammodo mœchatur ratio practica magis perci- piunt, tenaciusque retinent hos diuinos impetus, quibus quis dicitur bene fortunatus. vnde & Albertus Magnus in libro de anima inquit. Qui sunt bonæ imaginatiuæ, vt soli- tariæ vitæ efficiuntur prophetiæ, quod verum est, loquen- do de prophetia naturali, de qua tractat Auicenna in sexto Naturalium id est, in suo libro de anima, & philosophus, in libro de somno, & vigilia.

Tertiò Melancolici, dicuntur bene fortunati, vt vult phi- losophus in libro de bona fortuna, quoniam cum habeant cogitationes fixas, ex sui complexionem terrestri, tenacius re- ciunt hos diuinos impetus, & influxus cælestes, atque se- cundum eas operantur. Vnde Melancolici dicuntur præ- aliis hominibus diuinare, ac de futuris coniecturare.

CAPVT IIII.

Quæ sint proprietates benefortunatorum.

Circa Caput quartum declarandum est, quæ sint pro- prietates benè fortunatorum, & dico secundum phi- losophum in eodem libro quod sunt tres præcipuè: prima. Benefortunati diriguntur in operationibus suis, se- cundum præcognitionem aliquam, vel discursu rationis, sed tantum à primo principio impellente eorum appeti- tum, ita quod non aliqua arte, vel scientia operantur, sed solum Deo primo motore mouente. Secunda: benefortuna- ti non indigent consilio, nam vt placet Aristoteli habent principium mouens, & dirigens eos, quod est præstant: us ratione humana, & homine consulente, hoc enim princi- pium est Deus, quo nihil melius nihilque sapientius. Tertia: benefortunati excedunt sapientiam, prudentiamque quo-

rum: cunque sapientum. Nam solent ratiocinari, & in rebus, ambiguis se melius gubernant, quocunque prudente. Non enim cognoscunt futura, vel contingentia peritia humana, aut experientia, vt quidam sagaces viri, qui longa experien- tia aliquid coniecturant de futuris, sed cognoscunt per di- uinum impetum, prout eorum mentem Deus gloriosus mo- uet, qui præterita, & ea, quæ existunt, ac futura ex seipso co- gnoscit, vt vult Arist. in li. de bona fortuna, & veritas sic est.

Hæc dicta sint de bona fortuna secundum scientiam Ari- stotelis, nunc autem secundum opinionem Thomisticam delarandum est, quis sit benè fortunatus, vel malè, & quis sit benè natus, vel malè. Vnde aduertit secundum Beatum Thomam in tertio libro contra gentiles, quod ille dicitur benè fortunatus, qui ex impressionibus corporum cæles- tium, & causarum, superiorum inclinatur ad eligendum ex- trinsecum, cuius vtilitatem ex propria cognitione ignorat, ac recipit efficaciam, ad consequendum illud bonum ele- ctum per impressionem alicuius qualitatis, quæ in eo cau- satur à cælo. Nam sicut à cælo causatur in magnete virtus, & quædam qualitas, qua potest trahere ferrum, ita vt in- quit Beatus Thomas non est inconueniens, quod in manu medici causeretur à cælo aliqua virtus, qua sufficiens est ad sanandum vulnus, & in manu militis qualitas, quæ potest expugnare hostem, & in manu agricolæ, qualitas, qua pro- ficit in serendo, & plantando, ita quæ operata sua ei videntur secundum bene placitum suum succedere: Idem dicimus de doctore, qui in omni suo eloquio gratus apparet, idem intellige de seruitute principis, qui in omni suo obsequio gratiam acquirit coram principe, & super alios exaltatur. Cuncta hæc proueniunt ex qualitatibus impressis à corpo- re cælesti in suo ortu, quibus homines redduntur benè for- tunati. hinc prouenit illud dictum, necesse est medicum esse natura prudentem, & benefortunatum.

Malè fortunatus est ille, qui à corpore cælesti inclina- tur ad aliquod sibi nocium, vel inutile eligendum, cuius nocumentum ex propria cognitione ignorat, qui & profe- quitur illud ex mala qualitate sibi à cælo impressa vel si ali- quid bonum aggreditur non prosperatur in illo ex aduer- so influxu. Vnde & quidam reperiuntur, qui in omni suo ne- gotio non grati apparent imo oppositum eis aduenit, vt quidam medici, qui in pluribus infirmos enecant, quidam milites, qui vt in pluribus vincuntur expoliantur, & deho- nestantur.

Quidam curiales qui coram principe, quocunque mo- do operantur nullam acquirunt gratiam. Tales dicuntur vi- ri steriles, qui non prosperantur in diebus vitæ suæ. Hinc il- lud prouerbum emanat. Inops aut miser nunquam fuit vir, qui pulcher & in suis gratus, operibus natus est.

Quia bona fortuna ponitur esse circa bona temporalia, vt dictum est supra. Bona natiuitas, vel mala ponitur, esse circa bona animi, quæ sunt virtutes, & mala quæ sunt vitia, & defectus, ideo quasi opponuntur disparatè.

Igitur secundum B. Th. in tertio contra gen. Benè natus dicitur ille qui ex naturali, & bona dispositione sui corpo- ris, ac bono influxu cælesti, & ex superioribus causis, incli- natur ad eligendum opera virtutum, & in eis exerceri, vt sunt quidam qui videntur ex natura iusti, actusque iustitiae abhorrent, quidam videntur naturaliter pij, & crudeli- tatem abhorrent.

Quidam videntur sic nati, vt semper amicitias contra- hent & pro amicis quocunque detrimentum sustinent. Hi dicuntur sortiti animam bonam. Hi secundum Platonem in libro vltimo de republica dicuntur eligisse optimas for- tes. Malè natus dicitur ille, qui ex naturali & mala disposi- tione sui corporis aduersoque influxu inclinatur ad eligen- dum opera mala, & in eis exerceri, vt quidam videntur na- turaliter, impij, fures, huiusmodi oppressores impulsivi velut bruta in quocunque facinus malum. Hij dicuntur gloriosi in rebus pessimis & exultant cum male egerint. Et nisi ma- ximum adhibuerint conatum, ac rationis imperio fortiter vsi fuerint, ad bonum nunquam se conuertuntur, hæc suf- ficiant.

Qualiter vero differant, benè natus, benè custoditus, be- nè gubernatus, & etiam malè id perscrutari est officium catholici Theologi.

Explicit Tractatus de bona fortuna ordinatus per Fratrem Chrysostrum de Ca- salli, ordinis prædicatorum.

QVÆSTIO RESOLVTISSIMA
de Conceptione B. M. V.

Irca hoc dubium. Sic procedam: primò diffiniam iustitiam originale. secundò diffiniam peccatum originale. Tertiò, declarabo quid sit concipi in peccato originali. Quartò, dicam ad quæstionē.

Quantum ad 1. dico, quod iustitia originalis potest dupliciter diffiniri, primo per prædicata essentialia, secundo per prædicata con-

comitantia, respectu primi sic diffinitur. Iustitia originalis est donum super naturale collatum ipsi Adæ, vt principio generis humani. Hæc diffinitio est B. Tho. in q. disputata de peccato originali q. 1. art. 1. in corpore & Scoti in 2. senten. dist. 24. q. 1. vbi probat quod sit donum, quia gratis datum est à conditore, & supernaturale, quia fecit eum delectabiliorem voluntati, quam aliquid appetibile sensibile, quod non potest esse ex aliquo dono naturali ipsius voluntatis,

respectu secundi, sic diffinitur secundum D. T. vbi supra Est ordinatio inter vires superiores, & ipsum Deum, & inter vires appetiti sensitiui, & ipsam voluntatem, & inter corp^o hominis, & ipsam animam, vt formam propter hanc diffinitionem nota secundum D. T. illud donum super naturale causabat tria bona in ipso homine. primò ratio, & voluntas subiiciebantur Deo penitus, vel sine difficultate, & diuinæ legi conformes erant in quolibet actu suo. secundò appetitus sensitiuus, qui distinguitur in irascibilem, & concupiscibilem, in quibus situantur passiones, totaliter obediabant voluntati, vt reginæ, nec rebellio erat inter eas. Tertiò, corpus secundum esse physicum totaliter subiiciebatur ipsi animæ, vt formæ, ita quod ligabat appetitum materiæ, ne ad aliam formam se transferret, ex quo sequebatur corpus hominis nec alterari, nec infirmari, nec corrumpi sicut teneamus, quod hunc effectum faciet status impassibilitatis in corpore glorioso: à Scoto autem sic diffinitur in 2. senten. dist. 29. q. 1. est tranquillitas in anima quo ad omnes potentias, ita quod natura interior non inclinatur contra iudicium superioris. hæc de primo sufficient. Et nota quod secundum D. T. vbi supra dicebatur de iustitia originali, quæ fuit data ipsi Adæ, vt primo homini, & capiti totius originis humanæ naturæ, in tantum, qd si Adam non peccasset erat transitum in omnes descendentes ab Adam.

Quantum ad 2. dico quod peccatum originale tripliciter diffinitur. primo per prædicata essentialia, sicut diffinitur ab Anselmo in lib. 1. de conceptione virginis c. 27. Est nuditas iustitiæ originalis per inobedientiam facta, hanc declarat B. T. vbi supra art. 2. & Scotus in 2. sent. dist. 31. q. 1. nam peccatum formaliter est priuatio, & defectus ex 2. physic. Omnis autem priuatio est respectu alicuius determinati habitus, conuenienter igitur dicitur quod est nuditas, i. priuatio iustitiæ originalis. secundò diffinitur per prædicata concomitantia secundum D. T. vbi supra hoc pacto, est inordinatio inter vires superiores, & ipsum Deum, & inter appetitum sensitiuum, & voluntatem, & inter corpus, & ipsam animam. Ad cuius declarationem nota qd à peccato originali sunt causata tria malè, correspondentia tribus bonis iustitiæ, primò ratio, & voluntas caperunt rebellare ipsi Deo, non obediendo legi diuinæ. secundò passiones ceperunt contra rationem & voluntatem insurgere in tantum, qd aliquando obruebatur ratio, ex tertio de anima textu, & commento 57. tertiò fuit solutus appetitus naturæ, & cepit subiici corpus hominis alterationi & morti. A Scoto autem sic diffinitur in 2. sent. dist. 3. q. 2. elicituè. Est in tranquillitas in anima, quo ad omnes potentias, ita quod natura inferior inclinatur contra iudicium superioris, tertiò diffinitur per suum materiale, & sic diffinitur à Doctoribus, qd est concupiscentia, ad cuius euidentiam nota secundum D. Th. in q. de peccato originali q. 1. art. 2. in corp. & secundum Scotum in 2. sen. dist. 30. q. 1. quod concupiscentia ibi non accipitur pro actu, nec pro potentia, sed est quædam proni-

tas ad concupiscendum effrenatè delectabilia, & pronitas hæc est causata negatiuè à carentia originalis iustitiæ sicut causatur, & motus inordinatus in equo fracto freno, & in nauis fracto gubernaculo, hoc exemplo vtitur Anselmus in lib. de casu diaboli c. 5. & sic patet secundum, & nota quod dicitur peccatum originale, quia sicut iustitia originalis erat transitura ad omnes propagandum, ex Adam, si non peccasset, ita hæc priuatio transit in omnes posteros generatos ex eodem Adamo peccante, quod qualiter fuit notandum secundum D. Th. inq. de peccato originali q. 1. art. 2. & 3. quod Adam consideratur dupliciter. primo vt hæc persona, & sic non sumitur ratio, vt transeat hoc peccatum in posteros. secundo consideratur, vt principium, & caput generis humani, & ex hoc est ratio, vt transeat in posteros pro quanto Adam postquam peccauit generauit filios ex illa materia immunda, & vitiata, quadam qualitate morbida, & subinde ille alium, & ille alium, vnde dicit D. Th. vbi supra, quod cum Socrates generat, dupliciter consideratur. primò vt est Socrates, vel hoc indiuiduum, & sic non est causa culpæ originalis respectu pueri generati, secundò consideratur, vt generans vice Adam, & habens in se materiam immundam quam vocamus semen humanum, & talè materiam infectam administrat pro puero generando, ideo est causans culpam originale in puerum. Quia igitur omnes qui generantur naturali propagatione, generentur ex tali materia vitiata, ideo subiiciuntur originali culpæ. Ex prædictis inferuntur duo corellaria. Primum est, si Deus dedisset iustitiam originale ipsi Adamo, vt huic homini, & non, vt principio generis humani, sic non transisset iustitia sua originalis, in posteros, nec peccatum originale. Secundum est, si Christus generasset filium non causasset in eo peccatum originale, nec in suos posteros, quia Christus quum non esset ex virili concubitu, sed virtute actiua spiritus sancti conceptus non administrasset materiam immundam pro filio generando. Hæc de secundo principali: sequitur tertium.

Circa 3. dico quod tunc aliquis concipitur in peccato originali quando anima creata sine gratia vnitur tali materiæ immundæ. vbi nota, quod concipi, siue conceptio sumitur dupliciter, primo pro ipso actu generandi, qui dicitur commissio maris, & femine, & sic non intelligimus hic, secundo accipitur pro ipsa conformatione vel animatione, vel vnione animæ ad materiam vel corpus suum, quando igitur dicimus, quod concipi in peccato originali est animam vniri, accipimus conceptionem secundo modo, in primo autem modo non potest contrahi peccatum originale: quia anima pueri generandi, quæ est subiectum culpæ, non dum est. Ex præmissis ergo possumus accipere, quid sit concipi in peccato originali: vbi nota quod triplici de causa potest accidere, quod dum vnitur anima materiæ, non contrahit peccatum originale primo, quia anima potest creari in gratia, & sic creata vniri materiæ immundæ, & tunc licet vniretur tali materiæ, non tamen contraheret peccatum originale, quia tunc se haberet sicut anima pueri baptizati, quia licet maneat coniuncta materiæ, & carni infectæ tamen est libera à peccato originali, & propterea si creata in gratia, & permanens in gratia susciperet peccatum originale esset simul sub duobus oppositis, & sub gratia, & sub culpa. Secundò, quia anima creata posset vniri materiæ mundæ, quæ nunquam esset vitiata sicut contigisset si Adam genuisset filium ante peccatum, & sicut contigit in conceptione Christi, cuius corpus fuit formatum ex puro sanguine de virgine spiritu sancto cooperante, differentia est tamen ibi, quia anima Christi fuit creata in gratia, & vnita materiæ mundæ, quorum primum defuisset filio Adæ, ante peccatum, Tertiò, quia anima potest creari sine gratia, & vniri materiæ, non quidem mundæ ex se, sed mundatæ virtute diuina, & tunc non contraheret maculam originale, quia

Dupliciter sumitur concipi in peccato originali.

Diffinitio iustitiæ originalis B. Thom.

Secundo sic diffinitur à B. Thom.

Diffinitio Scoti.

Peccatum originale tripliciter diffinitur primo per prædicata essentialia.

Secundo diffinitur per prædicata concomitantia.

Diffinitio Scoti.

quia esset idem iudicium, ac si vniretur mundæ, de qua diximus, quod non contrahit maculam, & sic patet propter quod aliquis concipitur in peccato originali, vel non concipitur: hæc prædicta sunt de mente Scoti in 3. sent. dist. 30. q. 1. in responsione ad quæstionem.

Circa 4. est ad quæsitum responsio, & dico duo: primo quid fuerit possibile, secundo quid fuerit dicens, circa primum ponit Scotus in 3. sent. dist. 3. q. 1. tres conclusiones in quibus omnes Thomistæ, & veri scientes concordant. Primum est quod B. V. potuit nunquam contrahere peccatum originale, quia potuit anima vniri materiæ in gratia sibi infusa in instanti vnionis, & tunc se haberet, sicut in Baptismo vel in circuncisione, quia vt diximus supra licet maneat vnita carni infectæ, tamen ipsa est à peccato originali liberata. Hoc n. posuit Herueus ad literam quolibeto quarto q. vlt. Hoc idem B. T. 3. sent. q. 1. art. 1. in solutione secundæ quæstionis.

Secunda conclusio, Beata Virgo potuit tantum per vnũ instans esse sub peccato originali, vel saltem per breuissimum tempus: nam in toto tempore præcedenti animationem, vel vnionem animæ ad corpus non potuit esse sub peccato, quia sua anima nondum erat, quæ solum est subiectum culpæ, sicut & gratiæ, in instanti autem vnionis animæ, ad materiam, potuit ipsa anima infundi illi materiæ in mundæ sine gratia, & sic in illo instanti fuisset in peccato originali: vt patet ex prædictis, post illud autem instans potuit sibi infundi gratia, & sic fuisset sanctificata, & liberata à tali peccato, & tunc patet, quod per illud vnicum instans vnionis vel animationis, fuisset subiecta peccato originali. Tertia conclusio est quod Beata Virgo potuit per aliquod tempus esse sub peccato originali: quia potuit anima infundi sine gratia tali materiæ immundæ, illucescere sibi gratia diuina, nisi post aliquod tempus, sicut fuit in Ioanne Baptista qui creditur perstitisse sex menses sub peccato ipse post ea sanctificatus fuisse in vtero matris, quomodo B. Virgo visitauit Elisabet, vt legitur Luc. primo in his tribus conclusionibus loquuti sumus de possibili, ex quibus, quæ facta fuerint nullus nouit, nisi solus Deus, vt ait Scotus, vbi supra. Neque vsque huc est aliqua dissentio inter Thomistas, & Scotum, qui fuit in hoc clarus scientia & expertus ab ignorantia. Hæc de primo.

Circa 2. sed quid ad horum trium fuerit decus fieri probabiliter, hæc tota pugna nostra: nam B. T. & Scotus concordant in hac maiori. Illud est tenendum, quod est decentius, & excellentius tribuere Beatæ Virgini, sed discordant in minori, quia D. Th. tenet, quod decentius sit tribuere Beatæ Virgini. Secundam conclusionem, scilicet quod fuerit sub peccato originali per vnum instans, ita quod anima sua sine gratia fuerit vnita tali materiæ immundæ. Scotus autem tenet primam conclusionem, quod nunquam contraxerit, quia forte fuit anima illa infusa tali materiæ immundæ cum gratia per quam fuit præseruata, ne peccatum originale incurreret, & in hoc stat omnis controuersia, & ideo, vt videamus, quæ sit opinio rationabilis ponam primo rationem D. Th. & defenso eam. secundo adducam rationem Scoti, & quorundam aliorum, & soluam, & sic totum quæsitum terminabitur.

Circa 1. nota quod B. T. in omnibus suis operibus, vbi de hoc pertractat, præcipue in 3. sent. dist. 3. q. 1. art. 1. & 3. parte q. 27. art. 2. & quolibet 7. q. Et Herueus quolibet 4. q. vlt. tangunt tantum vnum medium, quod continetur in hac consequentia, si non fuit concepta in peccato originali non fuit redempta à Christo, cum tamen dicatur ipse vniuersalis redemptor omnium, & patet consequentia, quia redemptio dicit liberationem à malo iam incurso, & sicut distinguitur de malo, sic distinguitur de redemptione, si loquamur de malo culpæ, est redemptio à malo culpæ. Sed certum est quod Christus redemit hominem à malo culpæ, iuxta illud Luc. secundo. Tempore n. saluum faciet populum suum à peccatis eorum: sed per se Beata Virgo nunquam fuit sub malo culpæ: ergo sequitur quod nunquam fuit redempta. Quidam respondent huic rationi dupliciter primo negant falsitatem, & dicunt quod non est inconueniens, quod non fuerit redempta à Christo, & dicunt cum dicitur Christum esse redemptorem omnium accipitur, ly omnium accomode scilicet omnium qui sunt sub peccato. Sed arguo contra hæc, cum ratione Heruei quolibet. quarto quæstio. vltima quod cedit in maiorem honorem Christi ponendum est in Beata Virgine. Sed si B. Virgo fuit redempta cedit in maiorem honorem Iael. Tom. iij.

rem honorem Christi, quia maius, & excellentius est redimere vniuersaliter omnes, quam aliquos sic, & aliquos nõ, natura communicatio boni quanto vniuersalior, tanto excellentior est, cum igitur dignitas vniuersalis Christi, præponenda sit dignitati priuati vnus personæ cauendum est ne tantum demus matri, quod exinde non inhonoretur filius, falsum est ergo dicere, quod non fuerit redempta à Christo. Alij autem, vt Scotus, & Durandus concedunt falsitatem consequentis & conantur distinguere consequentiam, vnde inquit Durandus. Redemptio accipitur dupliciter. primo pro redemptione à malo iam incurso, & hoc modo non fuit redempta B. V. quia peccato, nunquam subiecta fuit. Secundo pro liberatione à malo quod si non fuerit incursum, tamen obligatione debebat incurri, & hoc est verè redimi de peccato. Exemplum. Si Princeps fecisset legem, quod omnes qui nascentur ex tali familia fiant serui, & venundentur, & aliquis impetraret, quod puer qui nasceretur in tali die non venundaretur in seruum, possumus verè dicere, quod talis puer fuerit verè redemptus, licet actu non incurreret seruitutem, quam si non fuisset impertio gratiæ de necessitate incurrisset, sic in proposito Beata Virgo fuit ex familia Adam, qua obligabatur ex statuto diuino incurrere peccatum originale, nisi fuisset præseruata: inquam igitur fuit præseruata, ne maculam incurreret, fuit verè redempta. Hæc est redemptio Durandi. Contra quam arguo sic: Christus non dicitur redemptor nisi secundum primum modum redemptionis: ergo nullo modo fuit redempta à Christo, & ideo nostra consequentia stat cum sua virtute, probatur antecedens, non dicitur redemptor hominum, nisi quia mortuus est pro hominibus, sed non est mortuus nisi pro peccatoribus, vt dicit Augustinus contra Iulianum, libro sexto, capite quarto. respondens Iuliano dicit, tu dicis Christum pro omnibus mortuum. Ego dico non, nisi pro peccatoribus, hæc ille, ergo non est redemptor nisi peccatorum, sed non est peccator, qui peccatum nunquam incurrit, sicut non est homo albus, qui albedini non substat, ergo Christus non est redemptor eius, qui peccatum, nunquam incurrit, cum igitur B. Virgo peccatum nunquam incurrit, nullo modo fuit peccatrix, & sic sequitur quod nullo modo fuerit redempta, non igitur propter has rationes vacuabitur ratio Beati Thomæ: secundo probatur principaliter eadem conclusio sic. Illud est tenendum esse factum Beatæ Virgini, quod dicitur sanctorum magis consonat, & hæc conceditur à Scoto, sed ipsam esse conceptam in peccato originali magis consonat dicitur sanctorum: ergo, &c. Minor patet autoritate Augustini de fide ad Petrum ca. 23. vbi dicit, firmissimæ tene omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur cum originali peccato nasci, impietati subditum, mortique subiectum, hæc ille, sed Beata Virgo fuit concepta per concubitum Ioachim, & Annæ: ergo, &c. Minor probatur. Nullus sapientum id negat, nisi quidam inepti, & rudes prædicantes mulierculis, & docentes eas dicere quod fuit concepta per solum osculum, sed has nugas merito despiciamus. Item Aug. super psal. 34. dicit Dominus carnem assumpsit de massa, quæ mortem meruerat ex peccato, & etiam, vt clarius loquatur Maria mortua est propter peccatum, Adam mortuus est propter peccatum, & caro domini ex peccato, maria mortua propter peccata delenda, hæc ille, & Ecce dicit quod Maria mortua fuit propter peccatum, sed non propter peccatum actuale, ergo propter peccatum originale. Item Anselmus in libro secundo. cur Deus homo c. 16. dicit, licet ipsa Christi conceptio munda sit, & absque carnalis delectationis peccato, Virgo tamen ipsa, vnde assumptus est in iniquitatibus concepta est, & in peccatis cepit eam mater eius, & cum originali peccato nata est. Idem in prologio loquens Deo inquit, animam gloriosæ virginis Mariæ in macula originalis culpæ creasti, de consequenti eadem primaria labe purgasti, & amictu munditiæ decorasti & in sanctitatis pietate postea confirmasti, hæc ille. Item Chrysostomus super Matth. dicit, quæuis Christus non esset peccator, naturam tamen humanam de peccatrice suscepit, hæc ille, sed constat quod suscepit naturam de Beata virgine: ergo ipsa fuit peccatrix, non peccato actuale, ergo originale, &c. Item Clemens Papa in sermone qui incipit, erunt signa, dicit sic, Dico vnum esse clarum, quod B. Virgo secundum sententiam sanctorum doctorum fuit in peccato originali concepta, & ratio huius quia fuit ex libidine & ex concubitu viri, & mulieris concepta, ideo

peccatum originale in sui conceptione traxit, hæc ille.

Notandum igitur, quod ad istas dictas auctoritates inueniuntur duas exposiciones. prima est Scoti distincta, tertia tertijs ubi supra, qui ait, quod omnes auctoritates, in quibus dicitur, quod ab Adam omnes contrahunt peccatum originale intelligendæ sunt de iure, vel debito, non autem de facto, quia quilibet filius Adæ naturaliter est debitor iustitiæ originalis, & ex demerito Adæ ea caret, & sic contrahit peccatum originale, sed B. Virgo de facto nunquam contraxit, licet contrahere debuisset in quantum filia Adæ, & nisi fuisset præseruata contraxisset.

Secunda expositio quorundam est ita, dicunt quod tales auctoritates sunt intelligendæ secundum communem cursum, & dicunt quod iste est modus loquendi doctorum, & philosophorum, quod ipsi quando loquuntur de aliqua materia in communi, loquuntur communiter, sed quando de illa materia loquuntur in speciali determinant veritatem, & dicunt illud quod sentiunt in illa materia, sic est in proposito. Nam sancti loquentes de filiis Adæ in communi, dixerunt quod omnes contrahunt peccatum originale secundum communem cursum: sed in speciali cum loquuntur de B. Virgine dicunt oppositum, ut patebit infra per Augustinum, & Anselmum, hæc est secunda expositio, sed has exposiciones improbat Ioannes de Neapoli, primam sic, illud quod nunquam est, aut fuit in actu, falsum est dicere quod sit tale quamuis de iure, aut de debito debuerit esse tale, si cut per oppositum falsum diceretur, Iudam non tradidisse Christum, quia non debebat ipsum prodere, & Petrum non negasse Christum, quia non debebat ipsum negare, & similiter si hæc expositio est conueniens possumus dicere, quod nullus homo peccat, quia non debet peccare, & quod omnis homo sit iustus, quia debet esse iustus, hæc tamen sunt absurda, ergo & hæc expositio vana. Secunda expositio improbat eodem sic. Quando philosophi, vel doctores loquuntur de aliqua materia tantum in communi secundum communem cursum loquuntur indefinitè, & non vniuersaliter per signum omne, quia tunc cum per signum omne loquuntur sub tali licet descendere distributiue, ut si dico, omnis genitus ab Adam habet peccatum originale: ergo & hic, & hic, sed B. Virgo fuit genita ab Adam: ergo, & c. sed ita est quod doctores loquuntur de genitis ab Adam vniuersaliter per signum omne, ut patet, per Augustinum de fili de Ad Petrum, Firmissime tene, & c. ergo sancti intendunt nullum excipere, imo B. Virginem includunt, præcipue est ipsa nominaliter exprimitur in multis auctoritatibus, ut diximus supra, cum igitur istæ exposiciones non sint sufficientes patet quod auctoritates ipsæ non possunt illo modo gloriari: ultimo restat adducere argumenta principalia contra positionem nostram, quæ sunt quatuor, Primum est Scoti ubi supra sic arguentis, optimus mediator debet habere optimum modum mediandi respectu alicuius personæ pro qua mediat, sed Christus est optimus mediator & non habuit excellentiorem modum mediandi, respectu alicuius personæ, quam respectu Vir. Mariæ: ergo debuit habere optimum modum mediandi respectu ipsius Virginis Mariæ, sed non habuisset nisi præseruasset eam à peccato originali: ergo præseruauit eam. Minorem hanc probat pluribus medijs, & primo sic. Nullus placat perfectè Regem contra aliquos inimicos nisi ex eis offerat vnum innocentem, & amicum, sed Christus placuit Deum contra filios Adam, qui erant inimici Dei: ergo oportuit ut offerret aliquam personam penitus innocentem, & extra omnem maculam peccati, sed hæc non fuit nisi B. Virgo, ergo Christus B. Virginem ab omni peccato, præseruauit. Secundo probat idem sic: perfectissimè mediator meretur amotionem omnis poenæ in persona, pro qua mediat perfectissimè, sed culpa originalis, est maior poena, quam carentia diuinæ visionis, quia peccatum maxima poena est naturæ intellectualis: ergo cum Christus fuerit perfectissimus mediator respectu B. Virginis amouet ab ea culpam originalem. Tertio probat sic. Idem Christus videtur immediatus fuisse reparator à peccato originali quam à peccato actuali, cum necessitas incarnationis maximè ponatur ad tollendum peccatum originale, sed secundum omnes, Christus præseruauit B. Virginem à peccato actuali, tam veniali quam mortali, ergo præseruauit etiam ab originali. Vnde hoc est argumentum principale Aureoli sic. Qui præseruat à minori, præseruat etiam à maiori, sed Deus præseruauit B. Virginem à minori scilicet, à peccato veniali, ergo præseruauit etiam à maiori scilicet à

peccato originali. Tertium argumentum sumitur ex fundamento D. Anselmi in libro de conceptu virginali, sic dicentis. Decuit nimirum, ut Virgo ea puritate polleret, qua maior sub Deo nequit intelligi, hæc ille, sed si fuit concepta in peccato originali datur maior puritas: scilicet puritas Angeli, & tunc sequitur quod dictum Anselmi erit falsum. Quartum argumentum sumitur ex dictis B. Thomæ in 1. ten ten. dist. 44. q. 1. art. 3. ad tertium ubi sic dicit. Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nil purius esse potest in rebus creatis, si nulla peccati contagione inquinatur, sic & talis fuit hæc ille. Ecce per dictum suum immunis fuit à peccato originali. Ultimo adducunt pro se dictum Augustini in libro de natura, & gratia, qui dicit. Cum de peccatis agitur De B. Virgine nullam volo prorsus quæstionem habere. Item Anselmus fecit librum specialem de hoc. Itē Anselmus ad episcopos Angliæ, dicit. Non credo verum amatorem Virginis, qui respicit celebrare festum Conceptionis. Hæc sunt argumenta principalia quæ adducunt contra nos, ad quæ singula respondendo dicimus Ad argumentum Scoti, quod maior potest dupliciter considerari, primo, quod perfectissimus mediator habeat optimum modum mediandi simpliciter, & absolute, & sic negatur maior. Alio modo quod habeat perfectissimum modum, non quidem absolute, sed, ut decet, ita quod nullus sit decentior illo, sic concedo maiorem, & totum vsque dum dicitur, sed non habuisset hunc modum, nisi præseruata fuisset, & c. hæc negatur, & ad probationem dico ad maiorem quod necesse est, ut offerat aliquem innocentem, vel ipse qui debet placare sit innocens, & hæc secunda pars est vera, Christus enim qui reconciliabat filios Adam Deo, licet non possit offerre ei aliquam, vel aliquem genitum ex Adam innocentem, ipse tamen erat innocens. Ideo Paulus dicit, Reconciliati Deo per sanguinem filij eius, patet ergo quod illa maior est falsa nisi accipiatur distributiue. Ad secundam probationem negatur maior, tunc enim sequeretur quod non fuisset subiecta alterationi, & infirmitati, quod tamen est falsum cum sciamus vitam suam fuisse resperam doloribus, & demum ipsa mortui fuerit corporaliter: ad tertiam probationem quæ conuenit in hac consequentia, Deus præseruauit eam ab actuali, ergo ab originali: negatur ipsa consequentia, nam pueri parui decedentes post Baptismum præseruantur ab actuali, non tamē ab originali. Item in adultis multi tenent, quod Beatus Ioannes Bapt. fuit præseruatus ab omni actuali, & veniali, ut inuenitur in hymno suo ubi dicitur. Me leui saltem maculare vitam, flamine posses. Ad secundum principale negatur, quod veniale sit minus peccatum quam originale, quia peccatum veniale dicit aliquam deordinationem voluntatis, quam non decet ponere in Virgine, originale verò nullam deordinationem voluntatis importat respectu illius personæ quæ concipitur: sed tantum respectu voluntatis ipsius principij naturæ humanæ scilicet Adam. Hæc est sententia B. Thomæ in secundo sent. dist. 33. q. 2. art. 1. ubi dicit peccatum originale esse minimum, quia minus habet de voluntario, quia est solum voluntarium voluntate principij naturæ & non voluntate huius personæ, hæc ille. Ad tertium respondet Herueus quolibet ultimo quæstione vltima dicens, quod Anselmus intelligit de puritate gratiæ & non de puritate naturæ, & quidem secundum puritatem gratiæ fuit purissima, quia maiorem gratiam sortita est, quam quilibet Angelus etiam primus. Ad quartum respondet Capreolus tertio sent. dist. 3. q. 1. in fine quod B. T. intelligit de tempore sequente cōceptionem in quo fuit sanctificata, cum teneat præoli.

Ad quartum responso Capreoli.

est declaratio Gregorij, & bona. Item sententia eadem ponitur à Ioanne de Neapoli, de hoc autem quod dicunt Anselmum fecisse tractatum, quod non fuit concepta, dicit Ioannes de Neapoli quod non est aliqua certitudo quod ille tractatus sit Anselmi, præcipue cum magni doctores qui dicunt eam in peccato non fuisse conceptam non allegant librum ipsum pro opinione sua, & etiam quia in aliis libris dicit expresse oppositum. Nam secundo libro cur Deus homo, capitulo decimo sexto sic dicit, licet ipsa hominis Dei conceptio munda sit, & absque peccato delectationis carnalis, Virgo tamen ipsa vnde assumpta est in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam mater sua, & in peccato originali nata est, quoniam ipsa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt, hæc ille. Et si dicas hæc sunt verba discipuli, concedo, sed sufficit quod Anselmus in hoc non improbat eum, imo confirmat sententiam discipuli in eodẽ capitulo, vt patebit si illud leges. Hæc est responsio Ioannis de Neapoli. Ad dictum autem Anselmi ad episcopos Angliæ respondet idem Ioannes de Neapoli sic, Amator Virginis dupliciter intelligitur. primo quo ad habitum caritatis. secundo quo ad feruorem deuotionis, Anselmus intelligit, quo ad feruorem deuotionis, quia scilicet laudabile est, & conueniens celebrare festum conceptionis, referendo tamẽ conceptionem ad sanctificationem, non tamẽ propter hoc sequitur, quin sit verus amator Virginis habitu caritatis, est non celebraret festum conceptionis. Ille enim feruor deuotionis est quoddam accidentale. Per hæc igitur sit responsum ad argumenta supradicta. Prædictis etiam potest addi glossa decreti super ca. pronuntiandum de consecratio. dist. 3. Vbi sic habetur de festo conceptionis nihil ibi dicitur, quia celebrandum non est, quia in peccatis concepta fuit sicut, & cæteri. Ad do. auctoritatem Diui Riccardi ordinis minorum in 3. sent. vbi sic ait, si impuritas non fuisset sanctificata, derogaret ipsi virgini. cuius priuilegium est quod sola sine viro conceperit, vt dicit Bernar. & originale non traduxit in prolem, ita sine peccato originali cõcepta

fuisset derogaret ipsi filio, qui solus fuit immunis ab omni labe peccati, & ideo honor iste quod sine peccato sit concepta non est honor, nec decencia in veritate, hæc ille. Nota quod Gregorius de Arimino in 2. sent. dist. 3. q. 1. art. 1. egregie se habet, nam deducit rationem primam Scoti contra ipsum, & contradictionem ostendit in verbis suis. Herueus etiam quolibet 4. q. vlt. probat, quod fuit magis condecens B. Virgini concipi in peccato originali quã non. Item idem probat Auctoritas Apostoli secundæ ad Corint. quinto dicens. Charitas enim Christi vrget nos, existimantes hoc quod si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus: ergo non est mortuus pro omnibus si B. Virgo non contraxit peccatum originale, quia tunc non omnes mortui sunt. Non enim implicat contradictionem Deum potuisse Beatam Virginem præseruare à peccato originali, sed an de facto Bea. Virgo contraxerit peccatum originale vel ne hoc est quod in questione vertitur. Nullum enim viatorem hoc certitudinaliter scire tenemus, nisi cui Deus reuelauerit, de quibus nullam certitudinem habemus. Ita stare oportet determinatio ni Ecclesiæ, & dictis sacre scripturæ, & sanctorum doctorum. Sacra scriptura vero & omnes doctores inter catholicos, celeberrimi in omni facultate, (& præsertim quatuor principales ab Ecclesia approbati, vt Euangelium, quando simul in sententia conueniunt) tenent Beatam Virginem fuisse conceptam in peccato originali & per sanctificationem postea, antequam natam emundatam. Tenere ergo oppositum pertinaciter, valde periculosum esse quod iudicamus: ergo tenendum est magis consonum esse honori Christi, & Beatæ virginis, quam oppositum, magis autem congruum est christianæ pietati, & vnitati, christi redemptioni nec non, & honori Virginis tenere ipsam fuisse conceptam in peccato originali & postea per sanctificationem emundatam, quam oppositum fuisse tamen ab originali peccato præseruatam vel ne, non derogat B. Virgini, nam habuit ipsa omnem plenitudinem gratiarum, Amen.

D. CHRYSOSTOMI IAVELLI,

Canapicij,

TRACTATUS DE ANIMAE HUMANAE

Indeficientia, in tres partes diuisus.

Prima complectitur viam Aristotelis, Secunda viam Platonis, Tertia viam naturalis inclinationis, & quodam modo ingenitæ cognitionis.

Prima pars diuiditur in quinque capita. In primo ostenditur Aristotelem tenuisse pro certo animæ nostræ indeficientiam. In secundo, defensatur hæc veritas contra Herueum. In tertio defensatur contra Scotum. In quarto defensatur contra Thomam Caetanum. In quinto defensatur contra Petrum pomponacium Mantuanum, philosophum modernum, qui appellari consuevit Peretus.

CAPVT I.



Quantum ad 1. caput sit hæc cõclusio determinatiuè, Philosophus in libris suis de anima sensit, & absque hæsitacione determinauit, animam humanam esse indefectibilem secundum substantiam. Quam quidem conclusionem intendo primò deducere ex processu Aristotelis. secundò corroborare ex præcipuis auctoribus.

Tu igitur aduerte, quod Aristoteles in primo de anima tex. 12. declarans, quam difficile sit habere scientiam de anima, & de potentijs suis, & actibus, an scilicet omnes sint communes animæ, & corpori, an aliquæ sint solius animæ, vt intellectus, & intelligere, proponit hanc conditionalem. Si intelligere est phantasia, aut, non sine phantasia, non est operatio propria id est, solius animæ, quia cum phantasia sit quid corporeum, non erit sine corpore, & in text. 13. ponit aliam conditionalem scilicet, si est aliqua operatio propria animæ, quæ scilicet, non expleatur per corpus, sed sit à sola anima, contingit eam separari, id est, post corpus re-

manere: si verò nulla est eius operatio propria, non vtique erit separabilis, quia scilicet ociosa remaneret, ociosum autem non permittitur in rerum natura.

Positis his duabus conditionalibus in primo libro neutram earum affirmauit, nec destruxit, vt appareret difficultas scientiæ de anima, sed sententiam suspendit vsque ad secundum, & tertium librum, vt declarabitur. In secundo igitur libro à textu 152. vsque ad textum 155, destruit primam partem primæ conditionalis scilicet si intelligere est phantasia. Illic enim probat differre intellectum à sensu vniuersaliter sumpto scilicet, extrinseco, & intrinseco, probat similiter differre intelligere à sentire, & comprehendit actum phantasiæ sub sentire. Vnde inquit in textu 153. Phantasia enim alterum est, & à sensu scilicet, exteriori, & ab intellectu, & accipit, vt patet inuenienti textum, sensum pro sentire, & intellectum pro intelligere.

In tertio verò libro, postquam in secundo probauit intelligere non esse phantasiam, probat à textu quarto vsque ad octauum intellectum esse non organicum, & intelligere esse operationem non organicam, id est, non expletam per organum, & per consequens intellectum esse separatum, & non alligatum organo ad differentiam sensus, & intelligere non recipi in organo, sed in solo intellectu ad differentiam ipsius sentire. Inuenit autem Aristoteles naturam intellectus non organicam, quoniam omnis potentia cognoscitiua organica restringitur ad determinatum genus entium, & ad singulare, cum differentia temporis & loci. Vt visus determinatur ad colorem, gustus ad saporem existentem actu, & pro eo tempore, quo sibi copulatur. Intellectus

autem apprehendit omne genus entium, & abstrahit ab hic & nunc: ergo liber est ab organo restringente vim cognoscitivam ad determinatum genus entis.

Deinde in eodem libro tertio in textu 20. ex eo quod intelligere non est phantasia, & intellectus non est virtus organica, & intelligere non est operatio organica, concludit in textu praedicto, hanc conclusionem ad literam & forma liter. Separatus autem est solum, in hoc quod verè est, & hoc solum immortale, & perpetuum. Quod sic intelligitur. Cum omnis virtus animae praeter partem intellectivam sit organica, solum intellectus est separatus ab omni organo in hoc qui verè est, id est, secundum substantiam, & hoc solum id est, & haec sola pars animae, quae est pars intellectiva, est immortalis, & perpetua. Nam cum tres sint partes subiectivae animae scilicet, vegetativa, sensitiva & intellectiva, constat solum intellectivam, quae est anima nostra, habere potentiam non organicam, ex consequenti ipsam solum immortalem, & perpetuam. Haec fuit conclusio philosophi in qua, ut vides non est dictio aliqua conditionalis, nec dubitativa, nec similitudinaria, nec proportionalis, nec metaphorica. Sed propositio categorica, & ideo simpliciter vera, & confessa ab Aristotele.

Ex his duo eliciuntur. Primo quod licet Aristoteles disputando, & inquirendo de natura animae nostrae & separabilitate, usus fuerit propositionibus conditionalibus, ut in primo libro in textu decimotercio & similitudine siue proportionem, ut in libro secundo in textu vigesimoprimum ubi inquit. De intellectu autem & perspectiva potentia, nihil adhuc manifestum est, sed videtur genus alterum animae esse, & hoc solum contingere separari, sicut & perpetuum à corruptibili (consuetudo est enim inquirentis, & disputantis suspensivè loqui, donec quod verum est, inveniatur) tandem peracta diligenti discussione simpliciter & absolute pro parte affirmativa conclusit. Secundo elicitur quod licet in primo libro proponens difficultatem scientiae de anima, formaverit primam conditionalem cum duabus partibus, tamen determinaturus advertens, quod tantum prima pars scilicet si intelligere est phantasia, excludebat propriam operationem ab anima, & per consequens indicabat ipsam secundum substantiam inseparabilem à corpore, quia tota & secundum omnem virtutem suam esset alligata organo ideo non curans secundam partem scilicet vel non sine phantasia, utpote non obstantem proposito suo, postquam destruxit primam partem conditionalis in libr. 2. textu 155. conclusit in libr. tertio in textu 20. immortalitatem animae intellectivae. Cuius signum est, quod postquam conclusit in in dicto text. immortalitatem animae, distulit usque ad text. 30. declarare, quomodo sine phantasia non intelligit anima comparans fantasmata ad intellectum, ut colores ad visum. Vnde pro constanti tenendum est Arist. sensitivam animae humanam indeficientiam ex sua propria operatione id est, ex intelligere, quod non est phantasia. Sed à solo intellectu & recipitur in solo intellectu, & non in coniuncto, ut operationes partis vegetativae, & sensitivae, & appetitivae sensitivae. Quod autem non intelligat sine phantasia provenit ex tali statu, in quo pro nunc est coniuncta materia.

Sed forte obiicies, quod Aristoteles in tertio libro de anima in textu 30. dicit absolute. Anima nihil intelligit siue phantasmate: ergo vel secundum ipsum corruptitur, vel remanet ociosa post corpus, quod repugnat principii suis.

Ad hoc respondetur, quod Aristoteles libris de anima, non considerat animam intellectivam nisi physicè id est, nisi ut aetuat corpus physicum, libri enim de anima sunt pars scientiae physicae, & ideo non tractat de intelligere animae, nisi ut est non separata. Cuius signum est, quod in textu 36. tertij libri de anima, quaerit utrum intelligat aliquod entium separatorum existens intellectus non separatus, id est, donec anima copulatur corpori. Considerare autem de anima intellectiva absolute in quantum est naturae intellectualis, & de intelligere absolute spectat ad primum philosophum, id est ad metaphysicum.

Sed iterum obiicies, quia Aristoteles in tota doctrina sua, nec in metaphysica attribuit animae nostrae intelligere pro alio statu, nec alio modo quam in libris de anima, ergo tenuit quod omne suum intelligere est cum phantasmate.

Respondetur & negandum est, quod Aristoteles non attribuat intelligere animae nostrae nisi pro statu. Nam in libro nono suae metaphysicae in textu 22. pertractans, quomo-

do essentiae siue naturae substantiarum simplicium, quales sunt Deus & intelligentiae, non sunt cognoscibiles secunda operatione intellectus, quae dicitur compositio & divisio, sed prima operatione, quae dicitur simplex intelligentia, advertensque quod pro hoc statu nihil possumus intelligere, nisi admiscendo compositionem, & divisionem, etiam venando definitionem cuiuscunque diffinibilis, & sic sequitur quod pro hoc statu ignoramus simplicium substantiarum naturas & quidditates, declaravit in praedicto textu, quod haec ignorantia non inest nobis sicut caecitas, quae non potest removeri, eo quod est privativa visus, permanet enim cum hac ignorantia principium intellectuum. i. intellectus, siue anima intellectiva. Vnde inquit Caecitas enim est ut utique, si quis principium intellectuum non habeat. Ac si dicat. Ista ignorantia esset in nobis sicut caecitas, si removeret principium intellectuum, sicut caecitas remouet principium visuum. Sed quia non remouet, ideo non est sicut caecitas. Ergo secundum Aristotelem, quia haec ignorantia non remouet intellectum, possumus intelligere quidditates substantiarum simplicium, & non pro hoc statu, ut dixit in secundo libro metaphysicae, textu primo, ubi inquit sicut nocturnorum oculi ad lucem diei, sic & animae nostrae intellectus ad ea, quae omnium naturae manifestissima, ergo concessit, quod eas possumus intelligere pro alio statu. Quod autem non assignaverit modum determinatum, quo pro alio statu intelligit, non est mirandum. Nam certum est quod in libro 12. metaphysicae posuit substantias abstractas esse intelligentes, ut patet in textu 36. Quo modo autem intelligant, an per species intelligentes, an per substantiam suam, an per essentiam rei intellectivae nesciuit exprimere, nisi in primo principio. i. in Deo, cuius intellectum cognouit in eo esse substantiam & non accidens. Hoc enim erat omnino supra sensum Aristoteles autem in tota philosophia procedit à sensu. Non ergo mirum, si nesciuit exprimere modum, quo anima post hunc statum intelligit. Sed & Theologus in hoc satis laborat, verum id ad propositum praesens non spectat. Sufficit ergo quod Aristoteles attribuerit animae posse intelligere post hunc statum, licet modum investigare non potuerit, nisi hanc negatiuam. Non intelligit cum phantasmate, & adverte, Alexander optimè, quod qui voluerunt attribuere Aristoteli ipsum posuisse talem, vel talem modum intelligendi in anima separata, cadunt in multa derisoria. Sicut Niphus Sueffanus in tractatu, quem edidit contra Petrum Pomponacium de animae immortalitate.

Nunc superest corroborare praepositam conclusionem ex praecipuis authoribus & graecis & latinis, & Auerro.

Auerroes lingua arabs, patria Hispanus cordubensis, graecas literas nesciuit, sed libros Aristotelis in arabico tractatos & satis imperfecto legit, cumque videret Aristotelem in tertio de anima dicentem & probantem, quod intellectus est immixtus, in organicus, & separatus, & immortalis, & perpetuum, pro constanti habuit, Aristotelem sensitivam animam intellectivam esse indefectibilem, & reprehendit in tertio de anima in comment. 5. Alexandrum Aphrodisium, qui interpretans Aristotelem arbitratus est ipsam esse defectibilem, & produci ex nobilissima mixtione elementorum. Verum quia Auerro. imaginari non potuit, quomodo haec stent simul, quod anima intellectiva sit forma informans corpus humanum, & sit immortalis, ideo cecidit in illum errorem, quem nunquam somniauit Aristoteles nec ex libris suis vllum habemus vestigium scilicet quod anima intellectiva sit vna tantum, & non informet materiam, sed se habet ad omnes homines, ut intelligentia ad caelum, & hanc quidem chimericam imaginationem, satis reprobauimus, in quaestionibus nostris in tertio de anima. Pro nunc sufficit, quod Auerroes testatur Aristotelem pro certo posuisse animam indefectibilem. Alexander autem Aphrodisius licet censuerit Aristotelem posuisse animam mortalem, tamen ipse ex propria sententia confitetur esse immortalem. Vnde in libro suarum quaestionum naturalium inquit. Anima & si sit immortalis, tamen in corpus mortale demersa, videtur esse mortalis, & iterum inquit. Noluit mundi opifex diuinis hominum animos corporibus, terrenis absque congruo quodam medio colligare, quod quidem medium spiritum, vehiculumque nominat. Procul super Thimeum affirmat, non solum Platonicos, sed & Aristotelem animam immortalem posuisse. Themistius in tertio libro de anima commentans Aristotelem asserit idem, & tenet, quod postquam

quam Aristoteles in tertio de anima probauit vtrunque intellectum scilicet, agentem & capace[m], id est, possibile[m] esse immixtum, & immaterialem, addidit hunc solum, id est substantiam continentem vtrunque intellectum, quæ est substantia animæ intellectiua, esse perpetuam & immortalem. Passiuam vero rationem id est, phantasiam minimè, & hac de causa Aristoteles inquit Themistius addidit, & conclusit, quod post obitum humanarum rerum non reminiscimur. Reminiscencia enim ad partem sensitiuam pertinet: vnde si putasset Aristoteles animam perire, nulla fuisset ratio assignanda, quare non reminiscimur post obitum. Sentit ergo Themistius Aristotelem pro certo posuisse animam immortalem, & plurificabilem. Præterea Plethon Platonicus inter græcos peritissimus loquens de Aristotele in libro suo de anima inquit. Aristoteles sine controuersia censuit hominum amicos esse multos, & sempiternos. Nolo autem verba Aristotelis peruertere, & si ipse Platonis ac cæterorum philosophorum verba peruerit. Hæc ille.

Inter Latinos autem quicumque dicuntur commentisæ consentire cum commentatore Auerroë, Aristotelem sensisse animam immortalem, sed defensores chimericum errorem de unitate intellectus. Alij vero famosi expositores Aristotelis, vt Albertus cognomento Magnus, & B. Thom. & Egidius tenent pro certo Arist. sensisse animæ immortalitatem. Quidam vero moderni deuiantes à semitis patrum, quibus tamen bene se habet persuasibiles nos exhibere, vt inquit philosophus in secundo cæli, vt viderentur aliquid noui inuenisse, conati sunt ostendere Arist. omnino tenuisse animæ deficientiam. Sed Deo auxiliante, eorum inuentiones euertemus. Isti autem fuerunt Thomas Cætanus nunc Cardinalis, & Petrus Pomponacijs Mantuanus. Herueus autem & Scotus grauius procefferunt, qui dicunt Arist. dubium fuisse, & non pro certo determinasse animæ deficientiam. Hæc de primo cap. dicta sunt.

CAPVT III.

Quantum ad c. secundum in quo pertractanda est opinio Heruei aduerte, quod ipse in quolibet primo quæstione vndecima videns Arist. varie loqui in hoc proposito arbitratus est eum declinare modo ad partem negatiuam, modo ad affirmatiuam, & ideo semper fuisse dubium, magis tamen declinasse ad partem negatiuam scilicet, quod non remaneat post corpus, & quod non fuerit certus, quod remaneat, declarat Herueus ex duobus dictis philosophi, in quibus loquitur aut conditionaliter, aut dubitatiuè.

Primum dictum est in lib. duodecimo metaphysicæ textu decimosexto, vbi quærens vtrum aliqua forma remaneat postquam est deficiens informare materiam, sic respondet. Si autem posterius aliquid manet, perscrutandum est. In quibusdam enim nihil prohibet, vt si est anima talis. Non omnis sed intellectus. Omnis namque impossibile forsan. Ecce quod Arist. loquitur conditionaliter, dicit enim vt si est anima talis, deinde apponit dubitatum, cum dicit, forsan: ergo non fuit certus, quod remaneat.

Ad hoc dicitur, quod si volumus acceptare omnes propositiones, quas format philosophus in locis, in quibus non tractat ex proposito, sed incidenter, & exemplariter de aliqua materia, tanquam sint de mente sua, multoties sibi contradiceret. Nam dicit in primo libro topicorum, quod quædam sunt problemata, de quibus pro neutra parte habemus rationes certas, vt mundus est æternus, & tamen in lib. octauo physicorum & in lib. secundo de generatione, & in libro duodecimo metaphysicæ, conatus est demonstrare, & putauit se demonstrasse mundum esse æternum, ergo apud ipsum mundum esse æternum non est problema sed conclusio demonstrata. In topicis ergo non loquebatur ex propria sententia, sed ex varia opinione antiquorum, quorum aliqui arguebant mundum factum in tempore, aliqui autem ab æterno. Similiter constat quod in primo libro de cælo probat & determinat, cælum esse quintum corpus, ita quod non est de natura quarto elementorum, & tamen in tertio libro physicorum in textu quadagesimo quinto dicit sic. Quare esset utique hoc corpus præter aerem & ignem & terram & aquam, videtur autem nullum huiusmodi esse. & in primo posteriorum dicit lineam esse ex punctis, & tamen probat ex proposito in sexto libro physicorum nullum continuum componi ex indiuisibilibus. Ex his patet, quod non debemus iudicare

Lauel. Tom. iij.

mentem Aristotelis ex his, quæ dicit non pertractando materiam ex proposito, quoniam ex sua consuetudine tunc loquitur ex opinionibus famosis, & quoniam de anima in dicto loco libri duodecimo metaphysicæ tantum exemplariter loquitur, de qua suo tempore erant variaz opiniones, vtrum remaneret, vel non, ideo conditionaliter, & dubitatiuè loquutus est. Mentem autem suam debemus accipere ex libro tertio de anima, vbi loquitur ex proposito de anima intellectiua, sic enim incipit librum tertium. De parte autem animæ, qua cognoscit & sapit anima, &c. & illic in textu vigesimo determinauit absolute, vt visum est in capite præcedenti, intellectum immortalem, & perpetuum. Non ergo faciendum est fundamentum super dictum allegatum ex libro duodecimo metaphysicæ.

Secundum dictum allegat Herueus in primo de anima textu decimo tertio vbi Arist. comparat animam ad corpus quo ad separationem, sicut comparatur ænea sphaera ad planum, quo ad contactum secundum punctum, & dicit sic. Si vero nullum est proprium ipsius id est. Si vero nullum est proprium opus animæ, non erit utique separabilis. Sed sicut recto in quantum rectum multa accidunt, vt tangere æneam sphaeram secundum punctum, non tamen tangit ab hoc separatū rectum. Inseparabile enim. Si quidem semper cum aliquo corpore est, hæc philosophus, ex quibus patet quod non loquitur de separabilitate animæ, & remanentia post corpus nisi conditionaliter, id est si habet aliquod opus proprium. Non ergo fuit certus.

Ad hoc patet responsio ex his, quæ diximus in capite præcedenti, diximus enim, quod philosophus in primo lib. in textu decimotertio non determinando, sed ostendendo difficultatem scientiæ de anima, format illam conditionalem scilicet. Si anima habet operationem propriam, contingit eam separari. Si non habet, non contingit. Sed erit sicut de ænea sphaera in tangendo planum, &c. Deinde in libro tertio in textu quarto determinat illud, quod conditionaliter proposuerat in primo scilicet, quod habet operationem propriam, quæ est intelligere, quoniam non expletur per organum corporeum, vt sentire, & recipitur in solo intellectu, & in textu vigesimo concludit, quod intellectus est separatus in hoc, quod verè est, & hoc est perpetuum, & immortale, & illic nec conditionalem, nec dubitatiuam, nec diminutiua[m] dictionem apponit, & sic patet quod philosophus non remansit dubius, nec suspensus de indeficientia animæ.

Deinde Herueus format argumentum, quo videtur philosophus sensisse, quod anima omnino deficiat. Nam oppositum videtur repugnare principiis doctrinæ suæ. Posuit enim Aristoteles generationem hominum æternam à parte ante, sicut & motum cæli æternum ex secundo de generatione, & ex duodecimo libro metaphysicæ, ergo si animæ non deficient, cum infiniti homines præcesserint, nunc essent animæ infinitæ actu, quod quidem repugnat Arist. qui vbique reprobatur infinitum actu præcipuè in tertio lib. physicorum, & in primo cæli.

Ad hoc respondens Herueus dicit, quod non est necesse quicquid implicite continetur in principiis doctrinæ alicuius authoris, sit expressa sententia sua. Vnde inquit Herueus licet Aristoteles sit magis declinans ad mortalitatem animæ quam ad oppositum consideratis principiis doctrinæ suæ, tamen non sequitur, quod hæc sit expressa sententia sua, imo potuit remanere dubius.

Sic respondet Herueus, nos autem in sequentibus aliter respondebimus, cum soluemus argumenta Petri pomponacij, & declarabimus, quomodo non repugnat absolute principiis Aristotelis concedere infinitum in rebus immateria libus, quæ carent omni quantitate, & sic Herueus non potest concludere ex hoc argumento Aristotelem remansisse dubium de indeficientia animæ.

Demum conatur Herueus exponere duo dicta Aristotelis, in quibus videtur omnino tenuisse animæ indeficientiam, & primum est in secundo libro de anima in textu vigesimoprimum vbi inquit. Videtur intellectiua id est, animam intellectiua[m] alterum genus animæ esse: scilicet à vegetatiua & sensitiua, & hoc solum contingere separari, sicut perpetuum à corruptibili. Hoc dictum exponit Herueus dicens, quod non loquitur absolute, sed proportionaliter, & per similitudinem, ideo non concludit determinate intentum.

Verum aduerte, quod non erat necesse Herueum labo-

rare in exponendo dictum illud. Nam pro rei veritate philosophus non loquitur illic determinate: sed solum proponit quod primo aspectu apparebat. Si quidem praeposuerat in tex. 19. vtrum omnes potentiae animae sint separabiles ab inuicem, non solum ratione, id est diffinitione, sed etiam loco, & subiecto, ita quod in eadem parte corporis non possint esse plures potentiae, & dicit, quod de quibusdam patet, quod non separatur subiecto. Nam in cauda lacertae decisa est potentia sensitua, & motua & appetitiua, constringitur enim, si a nociuo pungitur, aut praemitur, de quibusdam autem est dubium, & subdit, quod de intellectu & perceptiua, id est speculatiua potentia animae, non est adhuc aliquid manifestum, sed videtur, scilicet primo aspectu alterum genus animae esse: & hoc solum contingere separari, ut perpetuum a corruptibili, haec philosophus. Concedimus ergo, quod ex illo dicto, in quo solum proponit, quod prima facie apparet, non trahitur efficax argumentum ad probandum de mente philosophi animae indeficientiam.

Secundum dictum est in tertio libro de anima in tex. vi. gesimo ubi inquit Aristotel. Separatus autem est solum in hoc quod verè est, & hoc solum perpetuum & immortale. Herueus dicit, quod vtrique hoc dictum probat intellectum esse immortalem. Sed Aristoteles non intendit illic de intellectu, qui est potentia animae humanae, nec de substantia ipsius animae: sed de intellectu agente, quia apud Aristotelem non est potentia animae, sed substantia separata, & eandem expositionem dat Thomas Caetanus, & Petrus Pomponacius. Confitentur, n. quod si concederent Aristotelem intendere in dicto textu de intellectu, qui est potentia animae intrinseca, coacti essent ad mentem Aristotelis concedere animam intellectiuam non deficere, quoniam potentia animae aut est essentialiter idem cum substantia animae, aut est in substantia animae, ut qualitas in subiecto, siue detur primum, siue secundum, sequitur de necessitate, si potentia animae est perpetua, & substantiam animae esse perpetuam. Ut igitur euitarent indeficientiam animae inuenerunt hanc glossam, cuius non fuerunt ipsi primi authores, sed acceperunt ab Alexandro aphrodiseo, qui ut diximus in primo capite, attribuit Aristoteli animae mortalitatem, & in libro suo de anima in capite de intellectu agente dicit, quod hic intellectus non est potestas id est, potentia animae, quae in nobis fit, sed est prima causa, id est Deus, qui ut est principium effectuum ceterarum rerum, dicitur prima causa, & ut est causa, quod res ipsae a nobis intelligantur, dicitur intellectus agens, nam Deus est eminentissime intellectus, ut demonstrauit Aristotel. in vigesimo primo metaphysicæ. Verum quia Thomas Caetanus sequitur ad litteram sensum Alexandri aphrodisi. ideo differam reprobationem huius expositionis, donec pertractabitur in ca. 4. opinio ipsius Thomae, & tunc apparebit quantum peruertit intentum Aristotelem. & quantum discontinuet textum. Simulque apparebit, quod & Alexander & Herueus & Thomas Caetanus, & Petrus Pomponacius inuenerunt fugam, qua deuiarunt a vero intento Aristotelem. Ne igitur coacti simus idem pluries, & inutiliter repetere, differendum est. Sic enim & displicentem euitabimus prolixitatem. Haec fuit summa opinionis Heruei in hoc proposito de indeficientia animae ad mentem Aristotelis suo iudicio. Qui tamen melius se habuisset, si cum beato Thomae concordasset: quoniam nullum dictum Aristotelem ab Herueo recitatum coegebat ad hoc, quod relinqueret Aristotelem dubium in tanta re, quam omnes scire appetunt. Haec de secundo capite dicta sint.

CAPVT III.

Quantum ad tertium caput aduerte quod Scotus in quarto sententiarum distinctione quadragesimater tia quaestione secunda in examine secundae propositionis, quam proposuerat, & erat ista. Si anima intellectiua est mortalis pertractans mentem Aristotelis, dat duas responsiones. Primo dicit sic. Dubium est quid in hoc Aristoteles senserit. Varie enim loquitur in diuersis locis, & habuit diuersa principia, ex quorum aliquibus videtur sequi vnum oppositum scilicet, quod sit mortalis, & ex aliis aliud scilicet, quod sit immortalis. Vnde probabile est, quod in illa conclusionem, semper fuerit dubius, & nunc magis accedere ad vnam partem, nunc ad aliam secundum quod tractabat vnam materiam consonam vni parti magis quam alteri. Secundo dicit, quod est alia responsio & realior, quae

est haec. Non omnia assertiua dicta, & pro certo existimata a philosophis, fuerunt ab eis probata per necessariam & inuincibilem rationem naturalem, sed frequenter non habebant nisi probabiles persuasiones, vel famosas praecedentium philosophorum opiniones. Vnde & ipse Aristoteles in libro secundo de caelo, in capite de duabus quaestionibus difficilibus sic inquit. Tentandum est dicere, quod videtur dignum: reputantes promptitudinem scilicet, sciendi, magis imputari verecundiae, id est, modestiae, quam audaciae in temeritati, si quis paruas sufficientias id est, rationes non omnino sufficientes diligit in rebus, de quibus maximas habemus dubitationes, propter philosophiam stare, id est ut persistant principia philosophiae, haec Aristoteles, & subdit Scotus. Vnde paruae sufficientiae semper suffecerunt philosophis, ubi non poterant ad materiam, id est ad rei naturam, quam pertractabant, peruenire, ne contradicerent principiis philosophiae. Vnde quadoque philosophi acquiescunt propter suas persuasiones probabiles, quandoque propter conseruandam firmitatem suorum principiorum, etiam quod non habeant rationem necessariam, & sic Scotus non habet pro inconuenienti, quod Aristoteles fuerit certus de animi indeficientia etiam quod ratione necessaria id non concluderet. Tu tamen aduerte, quod cum duas responsiones dederit, neutram reiecit, imo format duas rationes quibus videtur concludere, quod philosophus magis declinauerit ad deficientiam animae quam ad oppositum, & quoniam rationes illas Scotus, non soluit, ideo intendo eas soluere solutione naturali, & non Theologica, ut scias eas non concludere etiam in doctrina Aristotelis.

Prima ratio iudicio Scoti, sumitur ex libro septimo metaphysicæ textu ultimo, ubi philosophus vult, quod omnes partes, quae possunt remanere, destructo toto composito, sunt elementa, id est partes materiales, ex quibus totum componitur. Sic enim illic accipit elementa, & praeter tales partes materiales necesse est ponere in toto aliquam formam, quae resultat ex compositione partium materialium, sicut ex ordinata compositione lignorum resultat forma nauis, quae forma non potest remanere separata a parte materiali non remanente toto, sicut patet, quod forma nauis consergens ex compositione lignorum, separatis lignis ab inuicem: ergo insitante hac doctrina Aristotelem. si posuit animam intellectiuam informare, ut propria forma, materiam, quae est corpus humanum. Non ponit eam remanere separata a materia, non remanente toto homine.

Haec ratio non potest trahi ex textu praedicto philosophi. Primo quia philosophus non ponit illam vniuersalem scilicet, omnes partes, quae possunt remanere, destructo toto composito, sunt elementa. Sic enim habet textus, quoniam vero ex aliquo compositum fit, ut vnum sit omne, ut syllaba, syllaba autem non est elementa, nec idem a & b, nec caro ignis aeterna. Dissolutis enim haec adhuc non sunt, ut caro, & similia, elementa vero sunt, ut ignis & terra, haec Aristoteles. In quibus verbis intendit declarare, quod in compositis, quae sunt vnum per se, ut corpora elementata, ipsum compositum distinguitur a partibus materialibus componentibus, quas partes vocat elementa, & rationem distinctionis assignat ex eo, quod dissoluto toto, adhuc partes remanent, & gratia exempli ponit b & a componentia, ba, & ignem, & terram componentia carnem. De quibus constat, quod si b & a, separantur ab inuicem destruitur, ba, & tamen literae remanent. Similiter si caro resoluatur, remanent ignis & terra, ex quibus componebatur. Haec fuit intentio philosophi in dicto textu. & non aliud, ut patet. Constat autem, quod haec consequentia non valet. Partes elementares, id est materiales componentes totum, remanent destructo toto: ergo omnes partes remanentes, destructo toto sunt partes elementares: potest enim esse formalis pars, ut anima, & confirmatur, quia si intendisset quod pro certo nulla pars potest remanere, destructo composito, nisi pars materialis, non dixisset in lib. 12. in tex. 16. si autem posterius aliquid manet (& intendit de parte formali) perscrutandum est. In quibusdam enim nihil prohibet, ut si est anima talis. Non ergo ratio Scoti tendit ad mentem philosophi.

Secundo deficit in eo, quod dicit Scotus, quod secundum philosophum illic necesse est ultra partes materiales componentes ponere aliquam formam, quae non remanet separata a partibus materialibus, conceditur. Sed philosophus intendit de forma totius, quae resultat ex compositione partium, & definit seiunctione partium, quae forma nominatur nomine

mine totius sumpti in abstracto, ut in homine dicitur humanitas, quæ producitur ex eo quod anima unitur corpori humano, & definit esse per mortem, & in equo dicitur equinitas, & in igne igneitas, sed anima non est forma totius, sed dicitur forma partis, quia actuat & informat materiã, quæ est altera pars compositi, & de hac forma partis, non loquitur illic philosophus, & ideo ratio Scoti nihil concludit quo ad deficientiam animæ.

Secunda ratio Scoti, quam credit fundari in doctrina philosophi, talis est. Habet philosophus contra Platonem in primo cæli text. 126. & ultra, quod omne genitum est incorruptibile, & ingenitum est incorruptibile. Sed si anima humana est forma dans esse homini, ut veritas est necessario est genita, quia incepit esse, imo non fuit ante illud, cuius est forma ex doctrina Arist. in 12. metaphysicæ in textu 16. ergo secundum Arist. anima est corruptibilis.

Hæc ratio procedit ex vno falso scilicet, quod philosophus in textu præallegato, cum dicit omne genitum est corruptibile, intelligat de quolibet ente quocumque modo genito, siue producto, quod non est verum, aliter non loqueretur directè contra Platonem ponentem cælum compositum ex elementis, ex consequenti ex contrariis: Intendit autem de quolibet ente habente contrarium extrinsecum, sicut ignis habet aquam, vel habente in se qualitates contrarias, ut corpus elementatum. Tale enim ens quocumque modo inceperit esse, necessario est corruptibile, quoniã determinat sibi contrarium intrinsecum, vel extrinsecum, à quo potest pati & corrumpi, ut omne elementum, & omne elementatum, & quoniam Plato existimabat, ut patet in Timæo, cælum constare ex natura elementorum, sequebatur, ut benè arguit Aristoteles quocumque modo inceperit esse, siue per generationem physicam, siue alio modo, ipsum esse corruptibile & de facto corrumpere secundum cursum naturæ.

Ex his ergo sequitur, quod ens genitum, & de nouo productum, non habens contrarium intrinsecum, nec extrinsecum, sicut lumen quantum sit ex se, etiam quod sit de nouo productum, & substantia immaterialis, qualis est intelligentia & corpus, quod est quintum corpus, siue quinta essentia, possunt perpetuari, & quoniam de genere entium, quæ non determinat sibi contrarium, est anima intellectiua, cuius esse non educitur de potentia materiæ, ut declarabim⁹ de mente Aristotelis cum reprobabim⁹ opinionem Petri Pomponacij, & pro gradu intellectiua est eleuata super materiam, quia non utitur organo in operatione intellectuall, ut declaratum est in 1. capite, ideo non inconuenit eam de nouo produci, & perpetuari in esse.

Quod autem lumen de nouo productum possit perpetuari, manifestatur sic. Si Sol & Luna in hac hora inciperent, quiescere in sitibus, siue signis oppositis, puta Sol in primo gradu Arietis, & Luna in secundo aut tertio gradu Libræ. constat quod lumen in hac hora impressum à Sole in Luna, ut in plenilunio, idem numero perpetuaretur, & tamen de nouo esset productum, quia in hac hora, & nõ ante. Quod autem perpetuaretur, patet, quoniam non corrumpere à contrario, lumini enim non opponitur nisi tenebra, quæ est priuatio, & non qualitas contraria lumini. Nec recessu Solis illuminantis, si in æternum quiescerent Sol & Luna in sitibus oppositis.

Sed forte dices, hunc casum repugnare doctrinæ Arist. quia cum existimet in 8. physic. motum cæli perpetuum & continuum necessario, non concederet Solem & Lunam posse in æternum quiescere.

Sed hoc non obstat in proposito. Stat enim hanc conditionalem esse veram. Si Sol & Luna quiescerent in signis oppositis, lumen impressum de nouo in Luna perpetuaret. Nec eam negaret philosophus, licet non concederet antecedens extra conditionalem. Nam in 7. li. phys. tenet, quod motus totius pendet à motu partium, quoniam hæc conditio nalis secundum ipsum est vera. Si partes quiescerent, totum quiesceret. Constat tamen, quod antecedens non admitteretur ab eo, in cælo extra conditionalem, & tamen verum est dicere, quod motus totius cæli pendet à motu suarum partium. Nam ex eo quod omnes partes cæli mouentur, totum cælum mouetur. Sic in proposito. Verum est dicere. Si Sol & Luna, &c. Patet igitur quod ratio Scoti non fuit, tantæ efficacitæ, ut crederet indeficientiam animæ repugnare doctrinæ Aristotelis, & sic melius est stare in prima responsione, de qua dixit Scotus, quod est realior, &c. Hæc de

tertio capite dicta sint.

CAPVT IIII.

Quantum ad 4. caput aduerte, quod Thomas Caetan. eruditus in doctrina B. Th. quo ad hoc propositum declinavit à via præfati doctoris, & non solum tenet Arist. fuisse dubium, sed pro certo sensisse animæ mortalitatem.

Tu igitur aduerte, quod exponens in tertio libro de anima in capi. de intellectu agente, proponit quid iudicio suo senserit Arist. de immortalitate animæ intellectiua, & tenens simpliciter partem negatiuam in toto suo processu tria principaliter agit. Primo probat ex duobus fundamentis Arist. animam esse mortalem. Secundo reprobat quasi per singula verba expositionem B. T. in tertio de anima in text. 20. ubi sic habet textus. Non reminiscimur autem, &c. Tertio declarat expositionem suam consonare Arist. adducens quædam eius dicta, in quibus videtur expresse tenere animam esse immortalem. Nos igitur primo soluemus rationes suas, secundo defensabimus expositionem Beati Th. super textum. Non reminiscimur, &c. tertio declarabimus, quomodo dicta philosophi ab eo allegata non concludunt animæ mortalitatem de mente Arist.

Quantum ad 1. aduerte, quod prima ratio Thomæ Caetan. stat in hoc, Arist. in primo de anima in text. 13. facit hoc fundamentum, si anima habet operationem propriam, quæ scilicet, non sit communis animæ, & corpori est separabilis id est, potest remanere separata à corpore, si non, non. Sed Aristoteles non inuenit propriam operationem animæ quoniam in omni operatione sua, etiam in ipso intelligere admiscetur corpus. Nam siue intelligere sit phantasia, siue nõ sit sine phantasia, cum phantasia sit potentia corporea, & in parte capitis determinata, patet quod concurrat corpus & per consequens intelligere non est proprium opus animæ, sed cõe corpori & animæ. Constat autem quod Arist. non cognouit intelligere, in quo non concurrat phantasia, ergo sequitur quod non potuit ponere animam immortalem, quia non potuit inuenire propriam eius operationem.

Huic rationi iam respondimus in primoc apite. Supponit enim arguens, quod Aristot. teneat intelligere non esse proprium opus animæ, quia & si non expleatur per phantasia, ut per organum, sicut sentire, tamen indiget phantasia, ut obiecto, in quo refulcet res intelligibilis, phantasma autem corporeum est. Sed hoc suppositum est falsum, quoniam ut diximus in primo ca. licet Arist. proposuerit illam conditionalem sub duplici parte, tamen determinatur inuenit, quod intelligere non est phantasia, & ex hoc comprehendit in tertio libro in textu quarto vsque ad octauum nec intellectum, nec intelligere esse organica, ex consequenti intelligere non expleri ab anima per organum, sed esse à sola anima & recipi in ea sola, & quoniam ut diximus in primo capite aduertit Aristotel. secundam partem conditionalis non obstat, quin intelligere sit proprium opus animæ, ideo conclusit in eodem tertio libro, in textu vigesimo intellectum esse perpetuum, & immortalem. Et quod ad mentem philosophi textus ille vigesimus non debeat, nec possit exponi de intellectu agente, quasi de substantia separata, manifestabimus infra, ut promissimus tractantes opinionem Heruei.

Secunda ratio sua fundatur super separationem, quam Aristotel. diuerso modo attribuit intellectui possibili, & intellectui agenti. Nam in tertio de anima in textu septimo loquens de intellectu possibili dicit absolute, quod est separatus. Sic enim inquit ponens differentiam inter partem sensitiuam, & intellectum possibilem. Sensitiuum enim non si e corpore est. Hic autem scilicet, intellectus possibilis separatus est. Loquens autem de intellectu agente in textu vigesimo non dicit absolute, quod sit separatus, sed quod est separatus in eo quod vere est, quod ipse Thom. Caetan. exponit id est, in essendo. Ex his credit, quod Aristoteles de intellectu possibili intellexerit solam separationem formalem. De intellectu autem agente & formale, & quo ad existentiam, & ut scias imaginatio nem suam, aduerte, quod per separationem formalem, ut ipsemet exponit in 3. de anima in text. 7. intendit separationem quidditatiuã, siue secundũ diffinitionem, eo quod intellect⁹ in sua essentia nõ est corpore⁹, nec est alligat⁹ organo corporeo. Nec si diffiniret, poneret in sua diffinitione aliqd corpus, quia ut intellect⁹ est eleuat⁹ sup materiã. Cũ quo tñ stat,

quod non potest esse separatus à corpore secundum existentiam. Sicut dicitur de aëne sphaera, quæ quidditatiuè est abstracta ab omni materia sensibili, neque enim in sui diffinitione ponitur aliqua natura sensibilis, quoniam ut sphaera non est ignea, nec terrea, nec lignea, &c. & tamen non potest existere in rerum natura, nisi sit in aliqua materia naturali, nec potest tangere planum, nisi ut est in aliqua materia naturali, & quoniam arguens credit Aristot. non inuenisse proprium opus intellectus possibilis, ut dixit in ratione præcedenti, ideo credit Aristot. sensisse intellectum possibilem, qui est potentia animæ, non esse separabilem, nec separatum nisi formaliter, sicut nec aëne sphaera, & propterea dicit Aristot. tex. 7. absolutè, hic autem separatus est, & quoniam Aristot. inuenit proprium opus intellectus agentis, utpote substantiæ semper intelligentis, ideo dixit in text. 20. quod intellectus agens est separatus in eo, quod verè est id est, in essendo. Hæc est secunda ratio Thomæ Caetani.

Sed quod hæc ratio non concludat, manifestatur sic. Thom. Caeta. exponit textum philosophi iuxta imaginationem, quam sibi fecit, & super talem expositionem fundat rationem suam, & vult imaginationem suam esse mentem philosophi. Sed quia, ut declarabimus, textus philosophi potest rationabiliter aliter exponi, ideo ratio sua non habet euidenciam.

Tu igitur aduerte, quod philosophus in tertio de anima in textu 7. intendit de separatione non solum formali, sed etiam in essendo, sicut & in textu 20. Quod sic manifestatur. Dixerat philosophus in textu 3. intellectum possibilem esse impassibilem, & in text. 4. esse immixtum, & in text. 6. esse separatum, & in text. 19. loquens de intellectu agente attribuit easdem conditiones, & sub eisdem terminis intellectui agentis. inquit enim, & hic intellectus, scilicet agens, separabilis, & impassibilis, & immixtus, quasi sic arguens. Si intellectus possibilis est impassibilis, & immixtus, & separabilis, multo magis intellectus agens, quoniam ut illic immediate subdit philosophus, honorabilius est agens pariente, & principium scilicet actiuum materia. Tunc sic. Secundum expositionem arguentis, istæ conditiones sub eisdem terminis arguunt separationem non solum formalem, sed etiam in essendo in intellectu agente, ergo & in intellectu possibili: probatur consequentia, quoniam & eadem, & sub eisdem terminis, ut allegauimus in litera philosophi, attribuitur vtrunque intellectui, ergo vel vterque est separatus in essendo, vel neuter. Præterea. Iuxta æquiuoca non fit comparatio ex 7. phys. vnde si quis dicat, gladium esse magis acutum, quàm piper, vana est comparatio, quàm acutum æquiuocè dicitur de gladio & de pipere. Sed separatio formalis & separatio in essendo sunt diuersarum rationum, & ut sic æquiuocæ, ergo quando philosophus comparauit vtrunque intellectum in hoc quod est esse separatum, & innuit, quod cum sit honorabilius agens pariente, si intellectus possibilis est separatus, multo magis intellectus agens, hæc comparatio non valeret, nisi illud, in quo fit comparatio, pro vtroque intellectu sumatur in eodem sensu. Si ergo ratio comparatiua philosophi debet valere, necesse est, quod sumatur separatio pro vtroque intellectu in essendo. Nec obstat quod dicit arguens, scilicet quod philosophus loquens de intellectu agente non dicit simpliciter, quod sit separatus, sicut dixerat in text. 7. de intellectu possibili, sed dicit, quod est separatus in eo, quod verè est, id est in essendo. Hoc inquam non obstat, quoniam in text. decimo nono dixerat de intellectu agente, quod est impassibilis, immixtus, separabilis, illic loquitur simpliciter nullo addito, sicut etiam in textu septimo dixerat absolutè, quod intellectus possibilis est separatus. Illud autem verbum, scilicet in eo quod verè est, appositum in text. 20. in quo non amplius de solo intellectu agente loquitur, sed de tota substantia animæ intellectuæ, & ut est intellectuæ, & quod dicit in hoc quod verè est, non debet exponi, id est in essendo, ut exponit Thomas Caetan. Sed sic, in hoc, quod verè est, id est ex eo quod est substantia, & non accidens. Nam apud Aristotelem cum diuidatur ens in substantiam & accidens, substantia dicitur quod verè, & quod est ens simpliciter. Vnde in 1. physicorum tex. 26. soluens rationem Parmenidis dicit, quod verè est, id est quod est substantia, nulli inest, id est nulli est accidens, patet ergo quod ratio prædicta non concludit.

Quantum ad 2. aduerte, quod Th. Caeta. destruere conatur totam expositionem B. Th. super illum textum 20. Non reminiscimur autem, &c. & primo dicit quod non potest

exponi de statu animæ post mortem, sicut exponit B. Th. Dicit enim philosophus, non reminiscimur autem scilicet, nos homines. Nam si de anima intenderet, diceret. Non reminiscitur autem, scilicet anima.

Sed non cogit hæc sua obiectio, quoniam dicit philosophus in libr. 9. ethicorum. Illud potissimum est vnum quodque quod est principale in eo, & quoniam principale in nobis est anima, ideo potuit dicere philosophus, non reminiscimur nos homines post mortem, sumendo hominem pro suo principali, & præterea in famoso vsu loquendi, sumitur anima pro homine, & conuerso, ut cum dicitur, tot animæ sunt in hac ciuitate, quare, &c.

Secundo dicit, quod iuxta expositionem B. T. non potest saluari ly quia, in textu philosophi, in quo sic legitur. Non reminiscimur autem, quia hoc quidem impassibile, passiuus verò intellectus corruptibilis. Nam ly quia est nota causalis, & iuxta expositionem Beati Thom. in nullo deseruit.

Et id etiam minus valet. Nam si bene consideretur textus philosophi, & expositio B. Th. aduerteret, quod optime deseruit intentioni philosophi nota causalis. Nam ratio & causa, propter quam non reminiscimur post mortem est, ut dicit philosophus in dicto textu, quia passiuus intellectus corrumpitur. Sumit autem intellectum passiuum pro potentia cogitatiua, ut declarabitur, quæ cum sit potentia organica (est enim venus ex sensibus interioribus) non remanet post mortem, & de necessitate concurrat ad reminiscenciam, ut declarauimus in epytomate nostro in libro Arist. de memoria & reminiscencia.

Tertiò dicit, quod ly intellectus passiuus non rectè exponitur à B. T. pro cogitatiua, quia nullo lib. Arist. hoc nomen in intellectu ponitur nisi pro intellectu propriè dicto, qui est inorganicus.

Sed nec id valet, quoniam sicut in fine primi libri Ethicorum, dicit partem sensitiuam in homine esse rationalem, quia est apta obedire rationi, aliter nulla virtus moralis frenatiua passionum inesset homini, sic philosophus dicere hic potuit, cogitatiua esse, intellectum, qui appropinquat intellectui propriè dicto, adeo quod dicitur ratio particularis secundum commentatorem in tertio de anima commento quinto, discurrit enim ab vno singulari ad aliud. Dico insuper, quod in libris philosophi, aliquando inuenimus phantasia sumptam pro intellectu, ut in libro tertio de anima in textu 48. vbi inquit philosophus, videntur autem duo esse mouentia, aut appetitus, aut intellectus, & quid intendat per intellectum, statim declarat intellectum pro phantasia. Si igitur phantasia potest poni pro intellectu, multo magis cogitatiua, quæ inest soli homini, cætera enim animalia habent existimatiuam loco cogitatiuæ, & cogitatiua est potentia altior & propinquior intellectui quam phantasia.

Quarto dicit, quod si ly intellectus passiuus exponitur pro cogitatiua, non rectè dixit philosophus, quod sine hoc nihil intelligit anima, sed dicendum sibi erat, quod sine hoc, id est, sine cogitatiua nihil cogitat anima.

Sed nec id valet, quoniam vtrumque verum est scilicet, quod anima ut coniuncta nihil cogitat sine cogitatiua, & nihil intelligit sine ea, sicut nihil intelligit sine phantasmate.

Quinto dicit, quod Beat. Thom. in expositione illius textus. Non reminiscimur autem, &c. adducit quædam verba philosophi, quæ habentur in primo libro de anima in textu 66. & sunt hæc. Quare & hoc corrupto non reminiscitur, neque amat. Non enim illius erant scilicet, solius animæ, sed communis scilicet, corporis & animæ, &c. adducit autem Beat. Thom. verba illa, ad insinuandum, quod quæ disputatiuè dixit in primo libro determinat in hoc textu, in quo dicit. Non reminiscimur autem, &c. Dicit Thom. Caetan. quod Beat. Thom. adducit illa verba extra propositum, quoniam philosophus in primo libro loquitur de anima, ut distinguitur contra compositum. Vnde dicit in primo, quod non sunt illius scilicet, animæ passiones, sed communis id est, compositi. Hic autem loquitur de nobis hominibus, quoniam dicit non reminiscimur autem.

Sed nec id obstat, quoniam, ut diximus supra, philosophus intendit hic loqui de anima post mortem, quæ consuevit etiam famosè dici homo, quoniam est principale in nobis ex libr. 9. Ethicorum. Vnde dico, quod Aristotel. & in 1. libro & in hoc textu non reminiscimur, intendit de anima, & non de homine, ex consequenti Beat. Thom. adduxit verba

illa ex primo de anima ad propositum. Non ergo debemus relinquere expositionem B. T. propter has nouas expositiones, quas imaginatus est Th. Caeta. quas & alij, qui scripserunt, iam reprobauerunt.

Quantum ad 3. aduerte, q̄ Th. Caeta. adducit 6. dicta philosophi. Duo quidem assumit ad declarandum philosophū sensisse animæ deficientiam, quatuor autem glossat, quæ videntur declarare oppositum.

Primum pro suo intento est tale, philosophus in primo Ethicorum ponit hominem felicitari secundum quid, & non simpliciter. Sed si anima esset immortalis, posset homo felicitari simpliciter, ergo non fuit mens philosophi animam esse immortalem:

Ad hoc dicitur conformiter omnibus expositoribus, q̄ philosophus in omnibus libris moralium loquitur solum de felicitate, quæ potest haberi pro hac vita, quæ utique modica est, & rectè dicitur felicitas secundum quid. quoniam est admixta multis calamitatibus, & est instabilis propter aduersas fortunas. & quod philosophus intendat solum de felicitate huius vitæ, patet in primo Ethicorum. in lectione 15. iuxta signationem. B. Tho. vbi inquit. Si ita autem, beatos dicemus viuentium, quibus existunt, & existēt, quæ dicta sunt scilicet, operari secundum virtutem, & ditari exterioribus bonis per totam vitam. Beatos autem ut homines, hæc Arist. vbi inquit B. T. exponens. Tales dicimus beatos sicut homines, qui in hac vita mutabilitati subiecti sunt, & non possunt perfectam beatitudinem habere, & quoniam non est inane naturæ desiderium, rectè existimari potest, q̄ referuatur homini perfecta beatitudo post hanc vitam, hæc B. Th. & quando dicit Th. Caetan. Sed si anima esset immortalis posset beatificari simpliciter, concedo post hanc vitam, nec Arist. negauit in moralibus hominem posse felicitari simpliciter, nisi ut diximus pro hac vita, quæ est admixta multis miseris.

Et si quæras, utrum philosophus concederet felicitatē post hanc vitam dico quod sic, & reposuit eam possibilem in cognitione substantiarum diuinarum, quæ apud ipsos sunt Deus & intelligentiæ, & hoc deprehendimus ex libro 9. Metaphysicæ tex. 22. ut ostendimus supra. Sed modum illius cognitionis scire non potuit. nec à nobis potest sciri, nisi ex reuelatione.

Secundum dictum pro se est tale. Dicit philosophus in libro 12. metaphysicæ in tex. 39. Deductio autem optima id est, optima dispositio, siue optimus status, qui consistit in speculatione primi principij id est Dei, qualis nobis paruo tempore, illis autem scilicet, intelligentiis est continua, & perpetua. Sed si nos homines immortales essemus secundū animam, haberemus & nos semper illum statum optimum, quod negat hic philosophus, ergo signum est, quod philosophus non ponit nos immortales secundum animam.

Ad hoc responderetur, q̄ philosophus in illo dicto, qualis nobis paruo tempore, refert se ad illud, quod dixerat in de cimo ethicorum cap. 10. vbi inquit. Diis quidem omnis vita beata, hominibus autem in quantum quædam similitudo talis operationis id est, speculationis existit, hæc philosoph. Constat autem, quod in moralibus, ut diximus supra, loquitur de felicitate pro præsentī statu, & hominibus illa speculatio est paruo tempore, quoniam homines cito deficient, & dum viuunt, distrahuntur in multis, & in actu speculationis admiscetur phantasia, quæ cum sit organica, alterabilis est, & ideo propter ipsam laboramus, in speculatione, nec multo tempore possumus in ea continuare. concedo ergo, quod cum simus immortales secundum animam, habere possumus illam optimam dispositionem continuam, & perpetuam, sed non hic, philosophus autem in duodecimo metaphysicæ loquitur pro præsentī statu, ideo nihil sequitur contra intentum nostrum. Patet ergo, q̄ hæc duo dicta philosophi non concludunt animæ mortalitatem.

Primum dictum contra se, & quod conatur glossare, est in secundo libro de anima, in textu quadragesimo primo. vbi inquit philosophus. Separatur autem ut perpetuum à corruptibili, &c.

Sed non est necesse glossam suam hic recitare, quoniam & nos concedimus, ut diximus in primo capite, & respondentes Herueo, per illud dictum non concludi immortalitatem animæ. Nam philosophus illic non determinat, sed inquirens proponit quod prima facie apparebat. Ideo non est dictum illud multum ponderandum.

Secundum dictum contra se allegat ex libr. 12. metaphysicæ

textu 16. vbi inquit philosophus respondens, si aliqua forma remanet postquam est separata à materia, ut si est anima talis, non omnis, sed intellectus, &c.

Sed nec in hoc exponendo erat ei laborandum, quoniam concedimus, quod non concludit intentum, cum sit conditionalis, & tu vide supra in capite secundo, quomodo declarauimus hoc dictum, quod etiam allegatum est ab Herueo, nec oportet hic repetere.

Tertium dictum contra se adducit ex libro secundo de generatione animalium in capite tertio, vbi inquit philosophus. Mens autem de foris est id est, mens non generatur ab agente naturali, nec educitur de potentia materiæ, ut alia formæ rerum inferiorum, sed venit de foris, id est creatur à Deo immediatè, ergo non corrumpitur, ut alia formæ educatæ de potentia materiæ. Dicit igitur Tho. Caetan. quod Arist. non accipit ly mens pro anima intellectiua, sed pro intellectu agente, quem Arist. reputat esse substantiam separatam, & non potentiam animæ. De substantia autem separata non dubitatur, quin sit perpetua, cum sit penitus immaterialis ex libro 12. metaphysicæ textu 30.

Sed hæc sua expositio est directè contra Arist. in loco allegato. Nam illic tractat ordinatè, de anima vegetatiua, qua animantur plantæ, & deinde de sensitiua, qua viuunt animalia, & deinde de intellectiua, qua homo est homo, & mouet duas quæstiones, prima est. Vtrum omnes animæ præfuerint antequam informarent propria corpora, an nulla, an aliqua sic, aliqua non. Secunda est. Vtrum omnes veniant ab extra, ut creata ab agente primo deinde incorporibus introducantur, vel omnes sint in potentia materiæ, ita quæstione agentis naturalis educantur ad esse actu ex potentia materiæ, vel aliqua veniat de foris, aliqua autem non, & concludit, quod inter omnes animas, sola mens de foris venit. Conuetum est autem apud philosophos, principium intellectiuum appellari mentem. Patet igitur, quod mens in loco allegato sumitur pro anima intellectiua, qua homo est homo, aliter ille processus de generatione hominis non seruaretur, in quo ordinatè proceditur ordine naturæ ab vltima forma animati, quæ est anima vegetatiua, ad supremam, quæ est anima intellectiua.

Quartum dictum contra se, est in tertio de anima in textu vigesimo. vbi loquens Aristot. de vtraque parte intellectiua, postquam pertractauerat de intellectu passibili & agente, qui insunt animæ humanæ, ut duæ potentiæ, quarum vna est passiva, & altera actiua, concludit sic Aristotel. Separatus autem est solum in hoc, quod verè est, & hoc solum immortale, & perpetuum, Thom. Caetan. aduertens, quod si concederet hoc dictum intelligi ab Aristotel. de intellectu agente, qui sit potentia animæ, coactus esset omnino concedere animam esse immortalem secundum Aristotelem. ideo conatur trahere hoc dictum ad alium sensum, & dicit debere intelligi de intellectu agente. Sed hic intellectus secundum Aristotel. non est potentia animæ, sed substantia separata, quam constat secundum Aristotel. & veritatem esse immortalem, & incorruptibilem. hæc est imaginatio Thom. Caetan. quæ fuit & Alexandri aphrodisei, & Heruei, ut diximus in secundo capite, & est Petri pomponacij, & omnium qui tenent animam esse mortalem secundum Aristotel. ut igitur scias, quomodo hæc imaginatio non potest saluari, & cognoscas ex textu philosophi intellectum agentem esse potentiam animæ, vltra hoc, quod ratione probabitur, sic procedendum est. Primo declarabitur, quod mens philosophi fuit intellectum agentem non esse substantiam separatam, sed intrinsecum animæ, ut potentia sua. Secundo recitabuntur omnes rationes Thom. Caetan. & sygillatim soluentur.

Quantum ad 1. arguitur sic. Philosophus in 3. lib. in text. 20. concludens scilicet, pro nomine demonstratiuo & dictio ne exclusiua intellectum agentem esse perpetuum, utitur eisdem terminis quibus vsus est in 2. li. in tex. 21. vbi est proponens id quod primo aspectu apparebat de intellectu & potentia respectiua. Constat autem in 2. lib. intendit de potentia animæ, & non de substantia separata, dicit enim. Sed videtur genus alterum animæ esse, ergo & in 3. lib. in text. 20. intendit de potentia animæ, siue de anima intellectiua. Quod autem vtatur eisdem verbis patet. Dicit enim in 2. lib. proponens, & hoc solum contingere separari, ut perpetuum à corruptibili. In tertio autem libro concludens dicit, & hoc solum perpetuum, & immortale.

Secundo arguitur sic, si dictum philosophi intelligitur ab intellectu agente, quæ sit substantia separata, non potest saluari dictio exclusiua, cum dicit, & hoc solum perpetuum. Sensus enim esset, quod illa substantia separata, quæ est intellectus agens, sit perpetua, & nullum aliud ab intellectu agente esset perpetuum. Sed hæc secunda exponens est falsa, quoniam in duodecimo metaphysicæ text. trigesimo probat omnes substantias immateriales & separatas esse perpetuas, & æternas. Si autem exponatur de intellectu intrinseco animæ, siue de substantia animæ intellectiua, optimè saluatur illa exclusiua. Sensus enim est, quod cum potentia animæ distinguantur per vegetatiuas, & sensitiuas, & intellectiuas patet, quod hoc solum id est, genus potentiuarum intellectiuarum est perpetuum, quoniam reliquæ potentia sunt organica, istæ autem non.

Tertio arguitur sic, Dicit philosophus in tertio de anima in textu decimo septimo, quod sicut in omni natura est aliquid, ut materia id est, quod habet rationem potentia passiuæ, & aliquid, ut causa factiua id est, quod habet rationem potentia actiua, sic & in anima intellectiua oportet has esse differentias id est, potentiam passiuam, & potentiam actiuam, & in textu decimo octauo declarans, quæ sint istæ potentia in anima dicit, & est intellectus hic quidem talis in omnia fieri, & hic est intellectus possibilis id est, receptius omnium intelligibilium. Ille verò in omnia facere, & hic est intellectus agens, qui facit intelligibilia in potentia, intelligibilia actu. Si igitur isti duo intellectus sunt in anima, neuter eorum est substantia separata.

Ratione autem probatur sic, omnia animalia inferiora ab homine habent sufficientia principia suæ propriæ operationis, ut patet in actu vegetandi, & sentiendi, ergo & homo debet habere principia sufficientia propriæ operationis in quantum homo est, aliter esset imperfectior, ceteris animalibus propria autem operatio hominis in quantum est homo, est intelligere, & intellectus possibilis, & intellectus agens sunt principia intellectiua ex text. 18. libri tertij de anima, ergo ista principia sunt in homine, ut possit elicere suam propriam operationem. Patet ergo quod est irrationabile ponere intellectum agentem substantiam separatam cum id non consonet textui Arist. nec rationi.

Quantum ad 2. aduerte, quod Tho. Caet. exponens in 3. de anima text. 20. format quatuor rationes, quibus nititur probare ex text. 17. & 18. & 19. & 20. intellectum agentem non esse potentiam animæ, sed substantiam separatam, quam philosophus dicit esse perpetuam & immortalem, & non loquitur de substantia animæ intellectiua.

Prima sua ratio est hæc, ex tertio de anima in textu decimo septimo non habetur, quod intellectus agens, & possibilis sint in anima, nisi sicut in omni natura est agens, & patiens: constat autem quod in omni natura non est agens, & patiens sic, quia numero natura habeat in se vtrumque, eo modo quo subiectum habet in se accidentia sua, & compositum habet formam, & materiam. Sed sufficit, quod in omni natura producenda insint hæc duo, sicut causæ sunt in effectu. Sicut ignis generans ignem ex ligno, est sicut causa productiua in suo effectu, & sicut Sol generans hominem est in homine genito, ut causa in suo effectu, ergo ex textu philosophi non potest concludi, quod in anima intellectiua aliter sint isti duo intellectus, quam ut causæ sunt in suo effectu, ergo non est necesse, quod sint in anima essentialiter, & per inhzrentiam, quod tamen requiritur, si debent esse potentia animæ, iuxta doctrinam eorum, qui tenent distinctionem realem, inter animam, & potentias suas, vel quod sint idem essentialiter cum anima, iuxta sententiam eorum qui tenent identitatem realem inter animam, & potentias suas.

Hæc ratio supponit vnum falsum scilicet, quod philosophus in text. 17. vbi inquit, quoniam autem sicut in omni natura, intendat absolute & vniuersaliter de omni natura, quod non est verum. Clarum est enim, quod in omni natura non est agens & patiens intrinsecum, ut patet in generatione inanimatorum, quorum generatio est ab extrinseco, ut constat in primo lib. de generatione. Dico ergo, quod philosophus intendit de omni natura animatorum perfectorum, quæ generanda sit. Nam cum talis generatio ex libro quinto metaphysicæ c. de natura, sit à principio viuente coniuncto, constat quod agens, & materia receptiua sunt intrinseca ipsi genito, ut virtus actiua generantis, quæ est in semine, vnitur intrinseca materiam, ex qua animatum perfectum, puta leo producitur

in esse. Ex hac ergo natura animati perfecti deducenda in esse, arguit philosophus simile de anima intellectiua deducenda in esse, non quidem naturali, sed intelligibili, pro quanto sit actu intelligens ex intelligente in potentia, & intendit philosophus sic arguere. Si in omni natura animati perfecti deducenda de potentia ad actum per generationem inuenitur hoc quidem materia, quæ est potentia passiuæ, illud verò factiuum, puta virtus seminis, conueniens est, ut etiam in anima intellectiua, quæ est intelligens in potentia, ut deducatur ad actum intelligendi, sit hoc quidem materia, & hic est intellectus possibilis, hoc autem ut factiuum, & hic est intellectus agens. Sed in natura animati perfecti, quod est materia, & quod est factiuum, sunt intrinseca, & non solum, ut causæ in effectu, ergo idem est in anima intellectiua, & sic patet, quod intellectus agens, qui habet rationem factiui, est intrinsecus animæ, & non substantia separata. Hæc fuit intentio philosophi in textu decimo septimo. Vnde obiectio prima Th. Caet. non vadit ad mentem philosophi. Aliter fundasset philosophus rationem suam, super manifestè falsum. Si acciperet ly in omni natura absolute & vniuersaliter, ut dictum est.

Secunda ratio sua est hæc. Aristot. in tertio de anima in text. 18. appellat hanc virtutem intellectum in omnia facere, ergo dicit duo scilicet intellectum & omnia agentem, ergo in quantum intellectus intelligit, & in quantum agens facit intelligibilia in potentia, esse intelligibilia actu, recepta in intellectu possibili, ut in potentia passiuæ. Sed in homine nullus est intellectus intelligens nisi intellectus possibilis, ergo intellectus agens non est in homine, ut potentia animæ, sed est substantia separata.

Ad hæc rationem respondetur, & negatur illa consequentia, ergo in quantum intellectus intelligit, loquendo de intelligere formaliter. Nam ad hoc, quod dicatur intellectus sufficit hanc disunctionem esse veram. Intelligit, vel est causa intellectiua, pro quanto facit intelligibilia in potentia esse intelligibilia actu, & quod hæc sit intentio philosophi in textu decimo octauo patet ex eo, quod comparat intellectum agentem lumini, cuius actio est facere colores apparere, qui prius occultabantur tenebris. Sic hæc virtus dicitur intellectus agens non quia formaliter intelligit, sed quia facit intelligibilia apparere, quæ vt velata sub conditionibus indiuiduantibus resident in phantasmatibus, vnde apud philosophum dicendus est intellectus causaliter, & vt sic est eminentior intellectu possibili, sicut agens est eminentius & honorabilius patiente, ut dicit philosophus in 3. lib. in text. 19.

Tertia ratio sua est hæc, Aristot. in tertio de anima in textu decimo nono ponens differentiam inter intellectum agentem & possibilem dicit, quod intellectus agens est substantia actu ens, ergo est natura intellectualis actu, cum sit immaterialis, & immixtus, ut prædixerat in eodem textu. Sed natura intellectualis actu, non est potentia animæ intellectiua. Tunc enim potentia animæ esset modo perfectiori intellectualis naturæ quam ipsa substantia animæ intellectiua, quæ in via Arist. est mere potentialis in genere intelligibile, ut dixit in 3. lib. in text. 5. & in hoc distinguitur via Arist. à via Platonis, vt alias videbitur.

Ad hanc rationem respondeo, cum dicit philosophus, quod intellectus agens est substantia actu ens, ly substantia accipitur in obliquo, vt sit sensus, est ens actu secundum substantiam, & non accipitur substantiam, vt distinguitur contra accidens. Sed prout quælibet rei essentia potest dici substantia, ly ens actu non sumitur pro ente actu in genere entium naturalium. Nam vt sic non differret ab intellectu possibili, cum vterque intellectus sit potentia naturalis animæ intellectiua. Sed pro ente actu in genere intelligibile, in quo genere intellectus possibilis est ens in pura potentia, ex libro tertio de anima textu. 4. & 5. Sed iterum aduerte, quod ly actus ens in genere intelligibile potest sumi dupliciter. primo formaliter & causaliter simul. secundo causaliter tantum. In proposito dico, quod philosophus intendit intellectum agentem esse actu ens causaliter tantum, & non formaliter. Tunc ad argumentum, ad illam consequentiam, ergo est naturæ intellectualis actu, concedo causaliter, sed non formaliter, & cum dicitur. Sed natura intellectualis actu non est potentia animæ, nego de natura intellectualis actu causaliter, & cum dicitur. Tunc potentia animæ esset perfectiori modo naturæ intellectualis, quam substantia animæ intellectiua, nego consequentiam, quoniam essent

essentia animæ est formaliter naturæ intellectualis, & cum contineat in se intellectum agentem, ex hac parte est casualiter intellectualis.

Quarta ratio sua est hæc, Arist. in 3. de anima in tex. 20. attribuit intellectui agenti, quod sua scientia est idem cum re scita, & quod non prius intelligit in potentia, deinde in actu, sed quod semper intelligit. Sed istæ conditiones non possunt verificari de potentia animæ. Non enim intellectus humanus est idem absolute cum re scita, sed tantum ut scita. Nec datur intellectus in nobis, ut experimur, qui semper intelligat, ergo ex dictis philosophi constat, quod intellectus agens non est potentia animæ, sed substantia separata, & hæc est vltima ratio Thom. Caetan. in hoc proposito. & aduerte, quod potius voluit imitari in hoc Alexandrū aphrodisiense, ut diximus supra, & Aueroem qui in tertio de anima tenet intellectum agentem esse substantiam separatam. Nam in comm. 18. inquit, & intendit Arist. per istum intellectum intelligentiam agentem, constat autem quod intelligentia ex 12. metaphysicæ est substantia separata. & infra in eodem commento inquit, & fuit necesse attribuire has duas actiones animæ scilicet, abstrahere & recipere, quamuis agens, & recipiens sint substantiæ æternæ. Verum quia commentator in natura de anima intellectiva maxime errauit, melius fuisset Thom. Caetan. concordare cum B. Th. Vt igitur B. Th. sententia ut consona Aristoteli defendatur, & ut appareat, quoniam extortè, nec leuiter, nec fictè, nec pueriliter exponit textum philosophi, ut videtur sibi imponere Th. Caetan. volo & hanc suam rationem soluere.

Ad hanc rationem dico cum B. Tho. in secundo contra gentes ca. 78. quod ille conditiones attribuuntur à philosopho non intellectui agenti, sed possibili existenti sub actu intelligendi, & appellatur intellectus in actu, & prima quidem conditio sic verificatur, cum potentia cognoscitiua apud Arist. sit ipsum cognitum obiectum. Si est cognoscens in potentia, est ipsum obiectum cognitum in potentia. Si cognoscens est actu, est ipsum cognitum actu. ut ergo Arist. poneret differentiam inter intellectum possibilem, ut potentialis est, & ipsummet, ut est sub actu intelligendi, dicit, quod intellectus in actu, & scientia rei id est, res scita secundum actum sunt idem, quasi dicat. In hoc distinguitur intellectus potentialis ab ipso existente sub actu, quia ille est res scita in potentia, hic autem secundum actum. Sed dicit Thom. Caetan. quod philosophus non dicit hunc intellectum esse idem rei scitæ ut scite, sed absolute, quod non verificatur nisi in substantiis separatis, in quibus apud philosophum intelligens, & intellectum sunt idem pro quanto tendunt in suam essentiam, ut in proprium obiectum. Sed hoc non impedit. Nam dato quod Arist. non dicat hunc intellectum esse idem cum re scita ut scita, tamen debet subintelligi, quoniam non est consuetudo philosophi in hac materia facere reduplicationem, licet necessario subintelligatur. Nam in tertio de anima tex. 37. dicit absolute, quoniam sensus est sensibilis, quod non est verum, nisi ut sunt sensata.

Secunda autem conditio clara est. Similiter & tertia, quoniam intellectus constitutus sub actu intelligendi, non quandoque intelligit, & quandoque non, sed semper intelligit, quamdiu est sub actu intelligendi. Sed dicit Tho. Caetan. quod hæc expositio est puerilis. Verum id non dixisset, si attendatur consuetudo philosophi. Nam apud ipsum etiam in textu proprio multæ essent expositiones pueriles. Quoniam in lib. 9. metaphysicæ volens exponere quid sit aliquid esse actum, dicit in tex. 11. est autem actus rem existere non ita sicut in potentia dicimus, patet autem, quod in mente alicuius non potest esse dubium, quin esse actu sit aliter quam esse in potentia, ergo & hæc declaratio philosophi esset puerilis. Si mulier in 5. metaphysicæ in ca. de causis, de clarans differentiam inter causam in potentia & causam in actu dicit sic. Agentia simul sunt & non sunt cum his, quorum sunt causæ, quæ verò secundum potentiam non semper, &c. Quis verò dubitaret circa hæc? Cum igitur talis fuerit consuetudo philosophi, non debet magis existimari hæc expositio B. Thoma. ridiculosa, quam illæ allegatæ ex textu philosophi, & aduerte quod B. Th. quasi pronosticans hanc argumentis instantiam in questione dispu. de anima, articulo primo ad quintum, quasi obuians dicit, & similem differentiam Arist. ostendit in 2. physicorum in capite de causis, inter causas in potentia, & causas in actu. Hæc pro defensione B. Th. & ut appareret textum. 20. Philosophi in tertio de anima intelligendum de potentia animæ, & non de

substantia separata, dicta sint. Hæc de quarto c. dicta sint.

CAPITULUM V.

Quantum ad quintum c. aduerte quod Petr. Pomponacius Mantuanus, duos edidit libros de hac materia. in primo quidem conatur omnia ostendere, Arist. tenuisse animæ nostræ deficientiam. In secundo autem, quem composuit contra Augustinum Nisum Sueffanum tenentem oppositum, aded multiplicat rationes ad astruendam mortalitatem animæ, quod videtur non solum hoc tenere de mente Arist. sed etiam simpliciter, licet verbo aliter sentire apud homines suaderet, ut christianam legem professus. Intendo igitur omnes rationes suas soluere, solutionibus physicis, quæ nec contradicunt principiis Aristotelis, nec doctrinæ suæ. Theologalibus autem responsonibus nunc memorabor, quoniam alias cum essem Bononiæ regens in conuentu diui Dominici, ortaque esset mala suspitio contra eum, quasi contra malè sentientem de fide in conclusione de immortalitate animæ, eo quod rationes, quas formauerat contra immortalitatem animæ in libro suo iam impresso, soluere noluisse, præcatus est me per epistolam manu sua scriptam, ut eas Theologicè soluere, & sic feci. Solutionesque ipsas acceptauit, approbauitque, & petiit eas imprimi in calce lib. sui. Epistola autem ad me directa talis est.

Reuerendo patri magistro Chrysofomo ordinis prædicat. Regenti in S. Dominico de Bononia, Petrus Pomponacius.

Reuerenda paternitas tua animaduertens pro sua prudentia, ex his quæ scripsimus in libro de immortalitate animæ, non solum multos in posterum in errore induci posse, sed etiam non nullos magno opere à veritatis via aberrasse. Quippe qui me mortalem esse animam tenere arbitrati fuerint, pro summa in me charitate, & veteri beneuolentia, sepius cohortata est, & admonuit, ut ad ea argumenta, quæ in eo libro quicquam christianæ fidei luminibus responderem, eiusdem orthodoxæ fidei veris & firmis rationibus responderem. Quam ego cohortationem & admonitionem, quod à sincero & beneuolo animo proficisceretur, facile intellexi. Libensque cum fidei firmandæ gratia, tum ut facile omnibus liquere (Deo teste) non eam de animo sententiæ meam esse admisi. Sed cum intelligerem artium, quarumlibet prof. flores aptius de his loqui, & iudicare, quam qui eas non profitentur, neminem id melius, quam Reuerendam paternitatem tuam præstare posse existimaui. Atque id cum propter eminentissimam eius doctrinam, tum propter singularem vitæ sanctimoniam. Itaque paternitatem tuam rogavi, ut ad reipublicæ christianæ utilitatem, & ad animi nostri tranquillitatem, & quietem hunc laborem non recusaret. Quem cum multum prius ac diu recusasses, nostris denique, & aliorum bonorum precibus, victus onus subisti. Nuperque quæ aduersus ea argumenta inuenta & excogitata à te sunt, misisti, & vero iudicio meo (omnis abist adulationi) aded apta, aded christiana visa sunt, ut facile omnem remoueant dubitationem, mentemque in tranquillo constituant. Quamobrem ingentes tibi ago gratias, paternitatemque tuam Reuerendam & cæteros sacrosanctæ fidei præfides rogo, ut nobis concedant, ut ad libri nostri exemplaria singula hæc argumenta addantur ea scilicet lege, ut sine huiusmodi accessione eos libros vendi non liceat, quo eorum vicio nemo sit, qui in prauam vllam de fide opinionem, aut nefariam sententiam induci possit. Vale.

Cum igitur responsones illæ nostræ secundum catholici fidei iam impressæ fuerint, possintque à singulis haberi, qui præfatum Pomponacii librum legerint, nunc rei terandi hic non sunt. Sed quas adducemus, scito esse physicas, nec Aristotelis doctrinæ oppositas, ut mere physice sustineamus animorum indeficientiam ad mentem Aristotelis.

Principales rationes, & quæ primo aspectu videntur aliquid apparentiæ, formatæ in dicto libro de immortalitate animæ à Petro Pomponatio sunt numero 11.

Prima est, si anima intellectiva est immortalis, & separata non potest intelligere sicut nunc intelligit cum phantasmate, necesse est, ut habeat duos modos intelligendi scilicet dependentem à corpore, donec est coniuncta, & independentem, quando est separata. Sed hoc repugnat doctrinæ Aristot. quia modi operandi consequuntur modos essendi. Si igitur habet duos modos operandi, potest habere duos modos essendi, quod non videtur conueniens. Vnius enim rei sicut

sicut est vna essentia, sic est vnus modus essendi, aliter anima coniuncta & separata non esset vna numero. Nam hoc sublato, nulla restat via probandi diuersitatem specificam inter aliqua, Aristoteles enim & Auerro. ex diuerso modo generandi inuestigant diuersitatem specificam.

Ad hoc respondetur, quod ly duos modos intelligendi possunt intelligi dupliciter. Primo quod vterque sit naturalis ipsi animae, & sic conceditur, quod haberet duos modos essendi naturales, & non remaneret vna numero anima coniuncta & separata. Secundo quod vnus sit naturalis, & alter præter naturam scilicet, intelligere sine phantasmate, & sic negatur, quod haberet duos modos essendi naturales, & q̄ non remaneret vna numero anima coniuncta, & separata. Nec ista distinctio, repugnat doctrinæ Aristot. Nam primo libro de coelo, attribuit vni corpori simplici duos modos mouendi localiter puta igni. Vnum quidem naturalem, qui est motus sursum, alterum autem præter naturam, scilicet motum circulare quo mouetur sub concauo orbis Lunæ, vt patet ex primo meteororum, qui motus deprehenditur ex motu spherico stellæ comatæ, & tamen ignis motus sursum, & motus circulariter, nõ diuersificatur in modo essendi, nec in essentia, nec definit esse idem numero. Nec est verum, quod Aristoteles & Auerroes ex diuerso modo generandi inuestigant diuersitatem specificam, nisi vterque sit naturalis: ad argumentum ergo conceditur, quod si anima est indeficiens habet duos modos intelligendi, sed non vterque est naturalis, sicut & ignis habet duos motus locales, sed tantum vnus est naturalis, & tunc nego q̄ hoc sit incõueniens, & quod non remaneat vna, &c. Quæ vtrique vera essent, si vterque modus esset animæ naturalis.

Secunda est, si ex intelligere vt ex proprio opere vis concludere animam immortalem simpliciter, longe magis apparebit mortalis, ex eo quod vegetat & sentit, eo quod plures operationes demonstrant ipsam mortalem, & cum denominatio fiat à superabundanti ex 6. phys. ita bene potest dici mortalis simpliciter, sicut, tu dicis oppositum.

Ad hoc negatur consequentia, ad probationem cum dicitur, ex eo quod vegetat, &c. dico quod ex doctrina Aristot. & ex veritate, non manifestatur rei natura, nisi ex sibi propria, & ex nobiliori sua operatione, si potest habere plures, vnum quodque enim est propter suam propriam operationem, vt etiam non negat Aristot. in secundo cæli. Vegetare autem & sentire non sunt propria opera animæ, sed coniuncti, quoniam explentur per organa ex secundo de anima. Solum intelligere & velle censentur propria opera animæ, vt declarauimus in 1. capite & in secundo contra Herueum. Dicitur ergo ad argumentum, quod denominatio debet fieri à superabundanti proprio, & quoniam ex proprio opere, quod est intelligere, tenet Aristot. & veritas, eam esse separabilem, vt docuimus in primo capite ideò longe amplius potest concludi immortalis ex solo intelligere, quam mortalis ex vegetare, & sentire, quæ non sunt propria animæ, sed communia corpori & animæ.

Tertia, homines minus sunt intellectuales, quam sensitiui, patet enim, quod operationem intellectualem pauci habent, & qui habent, etiam valde debilem, & obscuram, & in certam. Item pro minori parte sunt, qui viuunt secundum rationem. vt in pluribus autem habent actiones vegetatiuas & sensitiuas perfectas, & operantur passionibus ducti, vt bestiarum, ergo videtur anima simpliciter mortalis.

Ad hoc vt habeatur plena responsio declarandum est, quomodo sit verum, vel non verum hoc assumptum. Homines sunt minus intellectuales quam sensitiui.

Tu igitur aduerte, quod ly intellectuales, & sensitiui tripliciter considerari potest. Primo quo ad formam, quia homo est homo. Secundo quo ad operationem hominis. Tertio quo ad exercitium humanarum operationum secundum rationem. Si quo ad formam, sic assumptum est falsum, quoniam anima intellectiua, quæ est forma simplex, est formaliter intellectualis, non autem est sensitiua, & vegetatiua formaliter, sed virtualiter & contentiue, sicut docuit Aristot. in secundo de anima exemplificans de figuris, vbi tenet, quod tetragonum non formaliter est trigonum, sed contentiue & virtualiter, & pentagonum non est formaliter tetragonum, sed contentiue. Sic intellectiuum non est formaliter sensitiuum, nec sensitiuum est formaliter vegetatiuum, sed contentiue. Homines ergo vt homines, considerata natura animæ intellectiuae, quæ formaliter est intellectualis, & qua homines sunt homines, & tantum contentiue, ac virtualiter

est sensitiua, ex parte formæ sunt magis intellectuales quam sensitiui. Si quo ad operationem, iterum assumptum est falsum, quoniam operatio propria hominis non est sentire, sed intelligere, quo distinguitur à brutis, & quo foelicitabilis est ex primo & 10. lib. Ethicor. Vnde si agens denominandum est ab actione, magis denominari debet à propria quam à non propria. Hæc enim est vera, homo vt homo est intellectualis, & hæc est falsa, homo vt homo est sensitiuus, ergo & ratione formæ & ratione propriæ operationis assumptum est falsum. Si quo ad exercitium operationum intellectualium, & moralium secundum virtutem, sic assumptum est verum, sed per accidens, quoniam hoc non prouenit ex parte animæ intellectiuae, sed ex modo, quo venatur scientiam scilicet, per viam sensus, qui fallax est in indispositione organo, & medij, & complexionis, & ideo ex sensu operationes nostræ intellectuales debiles sunt. Sed non ex parte intellectus in se. Similiter, quod homines pro maiori parte declinent à virtute, non est ex parte animæ intellectiuae, quoniam, vt inquit philosophus in decimo Ethicorum, ratio semper deprecatur ad optima, id est, ratio semper dicitur bonum esse agendum, & declinandum à malo. Sed est ex parte appetitus sensitiui, in quo situantur passiones irascibilis & concupiscibilis, quæ naturaliter mouentur ad bonum delectabile prosequendum, & malum oppositum fugiendum, nec moderantur nisi forti imperio rationis, & bona consuetudine, & quoniam homines nolunt laborare infrenando passiones, ideo non vt homines, sed vt bestiarum pro maiori parte operantur. Sed hoc est per accidens sicut est per accidens, quod infirmus iudicet vinum amarum, qui si restituatur sanitati, non sic iudicabit, ex eo autem quod est per accidens secundum doctrinam philosophi in primo posteriorum, non est deducenda conclusio. Vnde non sequitur ex hoc tertio quod est per accidens, quod de beatitudine iudicari anima mortalis, imò ex primo & secundo quæ sunt per se, & ex tertio quod est per se ex parte animæ, debet iudicari immortalis.

Quarta, animam esse immortalem, nõ est per se notum, quæritur igitur per quam euidenciam hoc cognoscatur, vel ex eo quod in suo proprio opere, quod est intelligere non indiget organo præcise, vel cum alio addito. Primum dari non potest per ipsum Aristot. quoniam ad inseparabilitatem animæ inferendam sufficit alternatiue, quod indigeat corpore vt subiecto. Ergo ad separabilitatem inferendam necesse est hanc esse euidenciam. Anima non indiget in suo proprio opere corpore, neque vt subiecto neque vt obiecto. Sed hæc non est euidens, imo sua opposita, vt experimur, quoniam sine phantasmate nihil intelligimus, ergo, &c.

Ad hoc, conceditur, q̄ non est per se notum, & cum dicitur. Quæritur, &c. dico, q̄ cognoscitur esse indeficiens & separabilis à corpore ex eo præcise, quod in suo opere proprio non indiget corpore vt organo, quia ex tertio de anima text. 4. nec intellectus nec intelligere sunt organica. & cum arguitur quod ad inseparabilitatem, &c. nego istam, nec est ad mentem Aristot. vt docuimus in 1. ca. Nam ex eo quod cognouit intelligere non esse phantasmata, & intellectum non esse organicum, conclusit in 3. de anima in text. 20. intellectum immortalem & perpetuum, & cum arguitur ergo ad separabilitatem, &c. nego istam. Sed sufficit hanc esse euidenciam. Anima nõ indiget in suo proprio opere corpore vt subiecto, & hanc cognouit Aristot. qm̄ in 3. de anima. cognouit ipsum intelligere nõ expleri per organum ad differentiam ipsius sentire. Quod autem indigeat corpore vt obiecto, & quod experimur sine phantasmate in hac vita nihil intelligere, non obstat immortalitati animæ secundum Aristot. vt docuimus in 1. c. ex eo quod in 3. de anima in text. 36. dicit. necesse est intelligentem phantasmata speculari, & tamen in text. 20. iam concluderat immortalem & perpetuum esse intellectum. Aduerte igitur quod hæc ratio Pomponacij coincidit cum prima Th. Caetan. quam soluimus in c. præcedenti & est vna solutio vtriusque.

Quinta, anima in omni suo opere dependet ab organo, ergo est materialis & inseparabilis à corpore consequentia nota, & probatur antecedens. Anima vniuersaliter est actus corporis physici organici ex diffinitione Aristot. ergo in omni opere suo dependet ab organo forte dices, quod anima quantum ad intellectum non est actus corporis, quia intellectus nullius corporis est actus corporis, ex 3. de anima, text. 5. Sed contra, ergo anima intellectiua non esset anima, quia secundum te, vt intellectiua non esset actus corporis.

Hoc autem est contra Arist. quoniam in secundo de anima ponit definitionem communem omni animæ, & dictam vniuocè de omni anima secundum expositionem B. T. ergo, &c.

Ad hoc, negatur antecedens. Ad probationem dico, quod si ly vniuersaliter sumatur pro vniuersalitate suæ essentia, vt sit sensus, anima secundum totam suam essentiam est actus corporis physici organici, concedo, quia cum sit simplex forma & indiuisibilis secundum totalitatem suæ essentia est forma corporis. Si autem ly vniuersaliter sumatur & pro essentia animæ & pro omnibus suis potentiis, negatur quod vniuersaliter sit actus corporis, nam anima intellectiua ex eo quod supereminet omnibus formis materialibus secundum aliquam potentiam id est, secundum intellectum non est actus corporis, quoniam ex tertio de anima text. 4. intellectus non est affixus organo. & quando contra hoc arguitur, quod anima intellectiua non erit anima, nego consequentiam. Dico enim quod essentia animæ intellectiua est forma corporis. Sed non quo ad potentiam intellectiuam quæ est principium proximum, quo intelligit & sapit anima. & si obiicitur, quia ex hac responsione sequitur potentiam animæ esse magis abstractam, quam essentiam animæ, quod est manifestè falsum. Respondetur quod essentia animæ potest dici abstractior, quam potentia intellectiua & econuerso, sed diuersimodè, essentia quidem animæ intellectiua potest dici abstractior, quia est substantia per se subsistens non educta de potentia materiae vt dicemus infra. Potentia autem intellectiua potest dici abstractior, quia non est actus corporis vt sensus.

Sexta, quod anima sit mortalis simpliciter, probatur per Arist. in 3. de anima, ca. de intellectu agente. Illic enim cum dixisset vtrunque intellectum esse immortalem & separatim, dixit postea. Sed hic intellectus scilicet agens verè est, qui est immortalis, & semper intelligens. Ille vero scilicet, possibilis non, cum quandoque intelligat quandoque non: corrumpitur enim quodam interius corrupto, ergo si intellectus possibilis, qui est intrinsecus animæ intellectiua, corrumpitur, & substantia animæ corrumpitur.

Ad hoc dicitur, quod non allegat textum philosophi verè, quia philosophus non dicit. Ille verò scilicet possibilis non. Sed dicit, quod intellectus passiuus corrumpitur. Non autem per intellectum passiuum intendit intellectum possibilem, sed potentiam cogitatuam, vt declarauimus in c. præcedenti contra T. Caeran. qui in hoc concordat cum Pomponatio. de cogitatuua autem conceditur, quod corrumpitur, quia organica est.

Septima, si anima intellectiua est incorruptibilis, ergo non est forma corporis humani, consequens est contra Arist. qui in secundo de anima dat definitionem communem omni animæ, ergo & antecedens, probatur consequentia. Si est incorruptibilis est hoc aliquid, & est per se subsistens. Sed hoc aliquid, & per se subsistens non potest esse actus corporis, quoniam actus est quo aliquid est, & non quod est, ergo si est incorruptibilis, non potest esse actus, id est forma corporis. Præterea, si est incorruptibilis habet esse proprium, & tunc queritur de esse compositi id est, hominis, quod ponitur distinctum ab esse animæ, quid sit illud esse, & quid corrumpitur, quando homo moritur.

Ad hoc, negatur consequentia, ad probationem negatur consequentia pro prima parte, quoniam hoc aliquid in suo proprio significato est indiuiduum de genere substantia perfectum & completum in specie, vt Sortes, Plato, hic lapis, hic leo, &c. Quodcunque autem singulare habens rationem partis non est propria hoc aliquid, vt hæc forma lapidis hæc anima, quoniam anima vt anima est pars essentialis animati, & anima humana est pars essentialis hominis, & ideo non est propriè hoc aliquid. Conceditur autem consequentia pro secunda parte scilicet, quod est per se subsistens, quia non est educta de potentia materiae, sed de foris est, vt declarauimus in ca. præcedenti, & cum arguitur, quod res per se subsistens non potest esse actus corporis, negatur. Ad probationem, Dico, quod licet actus siue forma, quæ est educta de potentia materiae sit solum quo aliquid est, & non quod, quia non existit nisi per esse compositi, tamen non inconuenit actum, qui de foris est, esse quod est, quia habet esse proprium, & esse, quo aliquid est, quia dat esse ei, cuius est actus, & talis actus est anima humana, & ideo non inconuenit, quod sit incorruptibilis, & sit actus corporis humani. Et cum arguitur, si est incorruptibilis, habet esse proprium, conceditur consequentia, & quando

Iauel. Tom. iij.

queritur de esse compositi id est, hominis, &c. Dico quod homo non habet esse distinctum ab esse animæ, sed anima communicat suum esse homini, & quando queritur, quid corrumpitur, quando homo moritur. Dico quod non corrumpitur esse animæ communicatum homini, quoniam anima non definit esse, sed definit communicare suum esse homini, & vt ita loquar, retrahit suum esse in se. Corrumpitur autem per mortem humanitas, quæ dicitur forma totius. Nam sicut habuit esse ex vnione animæ ad corpus, sic definit esse per recessum animæ à corpore, patet igitur quod hæc ratio non concludit.

Octaua si anima est incorruptibilis, ergo non potest multiplicari, & sic tu cades in errorem Auerrois de vnitate intellectus, consequentia probatur secundum Arist. in libr. 12. metaphysicæ multiplicatio numeralis est per materiam, sed si anima est incorruptibilis est immaterialis, ergo non poterit multiplicari. nec valet quod dicunt quidam, animas multiplicari per habitudines ad corpora, aut per principia indiuiduantia, quæ Aristoteles appellat materiam. Hæc videntur intricamenta, nec ista cognouit Aristoteles, quare, &c.

Ad hoc, negatur consequentia, ad probationem. Dico quod substantia immaterialis est duplex, quædam perfecta non habens rationem partis, nec vnibilis materiae, quales sunt Deus & intelligentia secundum Arist. in 12. metaphys. Quædam, quæ est verè pars, & ex natura sua vnibilis materiae, cuius esse licet non pendeat à materia, tamen ratio sue productionis sumitur à materia, non enim producit anima, nisi formetur corpus, quod habet viuificare. Quando igitur dicit philosophus, substantiam immaterialem non posse multiplicari, intendit de substantia immateriali dicta primo modo, vt patet in text. 49. Cum igitur anima humana non sit immaterialis primo modo, sed secundo non inconuenit eam multiplicari secundum quod multiplicatur corpora, & cum obiicitur, nec valet quod dicunt, &c. Respondetur quod vera via peripathetica non tenet, quæ illic allegetur. Sed ideo multiplicatur, quia quælibet anima fortitur in corpore, cui vnitur, determinatum esse, quod quidè esse licet acquiratur animæ in corpore cui vnitur, non tamen ex corpore, nec per dependentiam ad corpus, vnde re motis corporibus adhuc remanet illud esse substantiale intrinsecum animæ, quod acquisiuit in corpore producta à primo agente per creationem, quam non negauit Arist. vt declarabitur infra.

Nona si anima remanet post corpus, cum non possit esse ociosa, & non possit intelligere cum phantasmate, ergo intelliget sine phantasmate, hoc autem est impossibile, ergo non remanet post corpus. Quod non possit habere modum intelligendi sine phantasmate secundum doctrinam Aristotelis probatur multipliciter. Primo quia intelligentia non potest habere modum intelligendi intellectus humani, ergo nec intellectus humanus potest habere modum intelligendi, qui competit intelligentia scilicet, sine phantasmate. Secundo, cum operationes transmutarentur, ergo natura transmutaretur in naturam, & sic anima fieret intelligentia. Tertio operatio essentialis nunquam separatur à restante natura rei. Sed intelligere cum phantasmate est essentialis animæ nostræ, quoniam acquirit naturaliter perfectionem ex sensu, ergo non potest hic modus pro quocunque statu separari ab anima. Quarto Aristot. non posuit aliquam intelligentiam sine corpore cui applicatur vt motor, cum in 12. metaphysicæ venetur numerum earum ex numero motuum, ergo multo minus concederet animam existere sine corpore cum sit minus abstracta.

Ad hoc, concessa consequentia, negatur quod consequens sit impossibile, imo rationabile, quoniam cum anima separata sit oïno extra materiam, sicut & intelligentia, non inconuenit quod habeat modum intelligendi sine phantasmate, sicut & intelligentia. Differenter tamen, quoniam hic modus intelligendi est naturalis intelligentia, animæ autem competit præter naturam, vt diximus in solutione primæ rationis Pomponatij. Ad primam probationem impossibilitatis consequentis, negatur consequentia. Nam ideo intelligentia non potest habere modum intelligendi, qui debetur intellectui humano pro hoc statu, quoniam ex natura sua est penitus immaterialis materia ex qua, & in qua. Vnde non est apta sumere perfectionem suam ex sensu. Anima verò est vnibilis materiae, quia ex natura sua est forma, & est per se subsistens, quia de foris venit, & non est educta de poten-

e tia

tia materiae, ut reliquae formae inferiores, ergo separabilis est. & quoniam separata habet modum essendi conformem intelligentiae, licet praeter naturam, non inconuenit, quod habeat modum intelligendi, sicut intelligit intelligentia. Ad secundam nego consequentiam. Nam ex sola transmutatione operationis naturalis transmutatur natura rei, Diximus autem, quod intelligere sine phantasmate non est operatio naturalis, sed praeter naturam ipsi animae, ideo non sequitur, quod transmutetur natura animae. Sicut non sequitur, quod transmutetur natura ignis ex eo quod mouetur circulariter sub concauo orbis lunae, quia hic motus est in igne praeter naturam, ut patet ex primo meteororum. Ad tertiam dico, quod licet separata non exerceat operationem suam modo naturali, tamen remanet apta ut exerceat. Non est autem necesse, quod stante natura rei, semper habeat actum operationem suam modo naturali. Nam & natura rei grauis stat extra proprium locum, & tamen non semper actu descendit. Ad quartam, nego antecedens, quoniam primam causam ponit non applicatam alicui corpori, ut determinauimus contra Auerroem in li. 12. metaph. in q. nostris. Ad probationem dico quod non venatur absolute numerum intelligentiarum, ex numero motuum, nisi intelligentiarum, quae applicantur orbibus. Sed nec id constanter probauit, cuius signum est, quod postquam in tex. 48. sic conclusit. Quare tot esse principia immobilia externa, rationabile est existimare, subiunxit, necessarium autem dimittatur fortioribus, id est his qui sunt altioris ingenij, & apti inuenire fortiores rationes in hoc proposito.

Decima Arist. in 12. metaph. comparans hominem intelligentis dicit. Delectatio autem qualis optima paruo tempore nobis, sic enim semper illis est, nobis autem impossibilis. Sed non alia causa inest illis semper, nisi quia sunt immortales, nobis autem paruo tempore, quia mortales sumus, ergo si essemus immortales inesset nobis semper sicut illis.

Ad hoc iam respondimus in ca. praecedenti, nam & Th. Caet. fundat se super idem, ideo vide illic solutionem.

Vndecima beatus Th. in 3. li. contra gentes, c. 48. dicit ad mentem Aristotelis, humanam animam non esse vere intelligentem, sed habere quandam participationem intellectus, ergo improprie est immortalis.

Ad hoc dicitur quod B. T. non negat illic animam esse vere intelligentem, nisi quantum ad intelligere substantias separatas. Sicut enim noctua potest dici non vere videns solem, sic & anima quo ad substantias separatas, quoniam pro hac vita tantum ab effectu inadaequato, & ex materialibus deducitur in aliqualem & debilem earum cognitionem, cum hoc tamen stat, quod sit vere intelligens entia corporea, ut obiecta sibi magis proportionata in quantum perfectionem sumit via sensus. Vnde non sequitur, quod licet respectu substantiarum separatarum non sit vere, & perfectè intelligens, propter hoc sit improprie immortalis. Argumentum tamen aliqualem haberet apparentiam, si respectu cuiuscunque entis tam corporei quam incorporei non esset vere intelligens.

Hæc pro solutione rationum Petri Pomponacij, quæ continentur in suo libro edito de immortalitate animæ, dicta sint. Nunc superest soluere rationes eiusdem quas formauit in libro, quem edidit contra Augustinum niphum Suesanum.

Prima, si anima est æterna, & habet potentias materiales scilicet, Vegetatiuas & sensitivas, & immateriales scilicet, intellectum & voluntatem, cum secundum Aristot. non detur resurrectio, ergo dantur potentiae perpetuo priuatae actionibus suis, quoniam non exercentur sine organo quod non datur in anima separata. Hoc autem est irrationabile, ergo opinio opposita ponens animam mortalem videtur rationabilior secundum naturam.

Ad hoc, negatur consequentia quo ad potentias immateriales, quoniam sunt solius animæ, & inorganicæ & exercent opus suum sine organo, ut dictum est supra, ideo anima separata non priuatur actu intelligendi modo sibi conuenienti pro illo statu. quantum autem ad potentias materiales, sufficit quod fuerint in exercitio pro presenti vita & pro statu alterius vitæ, nunquam fuissent sub actu, esset utique irrationabile secundum naturam, quoniam fuissent penitus ociosæ, ocium autem perpetuum non admittitur in natura secundum philosophum, non ergo propter carentiam operationis in potentiis materialibus pro alia vita, debet appare

re, nec existimari opinio opposita rationabilior secundum naturam. Secus esset, si anima remaneret priuata propria & nobiliori, & qua proprie perficitur operatione, quæ est operatio intellectualis.

Secunda si anima est forma naturalis, ut opinatus est Aristoteles, ex solo diuino miraculo potest stare sine subiecto, id est sine corpore, cuius est forma, imò hoc est maius miraculum, quam quod stet accidens sine subiecto, quoniam ex anima & corpore fit vnum per se, ex subiecto autem & accidente fit vnum per accidens. Sed indissolubilius est quod est vnum per se, quam quod est vnum per accidens. Sed Aristotel. non acceptat huiusmodi mirabilia, siue miracula, ergo non sensit animam stare posse sine corpore, & sic non esse immortalem.

Ad hoc dico quod Aristoteles opinatus est animam humanam esse formam naturalem hominis, quæ ex natura sua informat corpus humanum, sicut anima equi, corpus equi, quilibet. n. actus ex Aristotele in 2. de anima text. 27. recipit in propria materia, licet autem naturaliter informet corpus humanum, non tamen esteducta de potentia materiae per actionem hominis generantis, sed de foris est, ut diximus supra, & in hoc differt ab animabus brutorum, quæ dicuntur formæ naturales, quia naturaliter informant tale, vel tale corpus, & quia producuntur de potentia materiae ab agente naturali. Ad argumentum ergo nego consequentiam, quia non est miraculum, nec maius miraculum, eo quod est vnibilis materiae, & separabilis à materia, quia esse suum non pendet à materia. Consequentia autem valet in animabus brutorum, de quibus conceditur, quod solo miraculo possunt stare sine subiecto, eo quod innituntur materiae, & non sunt separabiles à materia. Patet ergo, quod ratio ista nihil concludit quo ad animam humanam.

Tertia si humana anima remanet post corpus, ergo tunc est substantia abstracta secundum esse à materia, sed hoc est falsum, quoniam quæ sunt abstracta secundum esse, & considerantur à physico, non considerantur nisi ut principia, ut patet ex 8. phys. Sed anima humana non consideratur ut principium tamen, imò ut forma, & per consequens, ut subiectum, ergo non remanet post corpus.

Ad hoc concedo consequentiam, & negatur falsitas consequentis, ad probationem, dico quod maior non est vera, ut patet in 2. phys. & in 8. & in 12. meta. nisi de omnino abstractis perfectis in specie, non vnibilibus materiae, quales sunt Deus, & intelligentiæ, constat autem quod anima humana non est substantia sic abstracta, quoniam est separata à corpore, quoniam ex natura sua est vere forma, & pars essentialis hominis, id stat, quod consideret à physico non solum ut principium, sed ut quid contentum sub subiecto philosophiæ naturalis ea ratione, qua anima, &c.

Quarta forma cuius propria operatio pendet à corpore subiectiuè vel obiectiuè id est, quæ exercetur per organum, vel non est sine phantasmate, est inseparabilis à corpore. Sed omnis operatio animæ humanæ pendet à corpore subiectiuè, vel obiectiuè. Maior patet cuiuslibet insipienti. Sed minor probatur. De vegetatiua & sensitiva constat. De intellectu autem, quod dependeat à corpore ut ab obiecto, patet apud Aristot. quoniam sine phantasmate nihil intelligit anima.

Hanc rationem iam bis soluimus, nam est prima T. Caet. quam soluimus in præced. c. & est quarta in ordine Petri Pomponacij, quam soluimus supra in hoc c. ideo vide illic, & aduerte, quod maior est falsa, necesse est enim ad inferendam inseparabilitatem, quod pendeat in suo proprio opere à corpore, ut à subiecto. Nam si pendet solum ut ab obiecto, non obstat inseparabilitati, ut docuimus supra.

Quinta inter appetitum rationalem & sensitiuum est magna lucta, & vicissitudinaria victoria, hoc autem contingere non potest in abstractis à materia, in quibus est pax & perpetua concordia. Si. n. in eis esset aliqua repugnantia, minime possent esse æterna, ergo anima intellectiua non est immaterialis simpliciter, & æterna.

Ad hoc dicitur primo, quod hæc lucta provenit ex eo, quod eadem forma est sensitiva & intellectiua, ex consequenti appetit appetitum sensitiuum, qui dicitur sensualitas, & appetitum intellectiuum, qui dicitur voluntas. & quoniam virtus appetitiua sequitur virtutem apprehensiuam ex 3. de anima, ideo sicut se habet iudicium apprehensiuæ sensitivæ ad iudicium apprehensiuæ intellectivæ, sic se habet appetitus sensitivus ad appetitum intellectiuum. experimur autem, quod apprehensio sua sensitiva, puta existimatiua, iudicat aliquid esse bonum, ut febricitantem bibere vinum. apprehensiuæ autem intelle-

Quia iudicat sicut est, ergo est discordia in iudicio, ad hanc sequitur discordia appetituum sensitiui & intellectiui. Ad argumentum igitur dico, quod hanc lucta inest animæ humanæ ex natura sua, eo quod constituta est in horizonte, & media inter mere intellectualia, & mere sensitiua. Dicitur secundo, quod illa propositio. Hoc autem contingere non potest, &c. non est vera, nisi de substantiis omnino immaterialibus & abstractis, in quibus est solum gradus naturæ intellectualis, quales sunt intelligentiæ, & corpora superiora, in quibus nullum est malum, nec peccatum secundum Arist. in lib. 9. meta. text. 17. unde stat, quod in anima intellectiua, quæ continet gradum sensitiuum & intellectiuum, sit repugnantia appetituum, & tamen sit perpetua.

Sexta si anima esset vere immortalis, non magis in senio quam in pueritia intelligeremus. At quoniam videmus intelligere variari secundum variationem materiæ, opinamur non simpliciter eam esse immortalem, fieri enim nequit, ut res omnino immaterialis, in omni opere suo à corpore dependeat.

Ad hoc dicitur, quod aliquando aliquid pertinet ad naturam alicuius secundum doctrinam Arist. & veritatem, ex quo sequitur in eo debilitas & defectus, sicut componi ex contrariis naturale est animalis, ex quo sequitur mors & corruptio eius, & similiter naturale est animæ humanæ, quod indigeat phantasmate ad intelligendum pro quanto naturaliter venatur scientiam ex sensatis, & ex hoc sequitur, quod intellectio sua est diminuta, & longè imperfectior quam sit in substantiis abstractis, & quoniam phantasmata variantur & debilitantur, eo quod organa pro diuersitate ætatis transmutantur, inde provenit, quod anima coniuncta corpori quantum ad suum modum naturalem intelligendi diuersimode se habet in pueritia, & in senio, negatur igitur consequentia, & cum dicitur, quod fieri nequit, ut res omnino immaterialis, &c. Respondetur hoc non verificari nisi de omnino immateriali & mere intellectuali, qualis est intelligentia, quæ non est vnibilis materiæ, nec continet gradum sensitiuum, nec venatur scientiam ex sensu, secus autem est de anima humana.

Septima, si anima esset simpliciter separabilis, & immaterialis, utique haberet operationem sine sensu, at in hoc reclamatur Arist. sine enim intellectu passiuo nihil intelligit anima, ex tertio de anima.

Ad hoc dicitur consequentiam non valere, quoniam licet sit immaterialis secundum essentiam, quia suum esse non pendet à materia, tamen denominatur materialis, eo quod est vnibilis materiæ, & est vere forma corporis humani, & quoniam secundum doctrinam Arist. est mere in potentia existens in genere intellectualium ex 3. de anima tex. 4. nec habet rerum, scientiam sibi congenitam, sed eam acquirit per sensus corporeos, ideo conuenit ei modus intelligendi per phantasmata, donec viuificat corpus, cum hoc tamen stat, quod pro alio statu habeat alium modum intelligendi sine sensu, quoniam definit vnio eius ad corpus, & cum dicitur, quod in hoc reclamatur Arist. &c. ad hoc diximus in c. præced. quod Arist. illic non loquitur de intelligere animæ absolute, sed pro hoc statu, in quo non est separata, non enim considerat Arist. animam humanam in physica, nisi ut est vnita materiæ, quare, &c.

Octaua, si anima est incorruptibilis, ergo extrinsecus aduenit, hoc autem est falsum secundum doctrinam Arist. ergo, &c. consequentia concedunt aduersarij, falsitas consequentis multipliciter probatur. Primo, si extrinsecus aduenit, prius existit extra corpus quam informet. Non enim est intelligibile aliquid ab extrinsecus aduenire alicui nisi intelligatur prius existere quam illi adueniat. Secundo cum anima informet corpus, posterius informabit quam sit, quoniam informare præsupponit esse quod esse ex quo non dependet à corpore, si extrinsecus aduenit est prius in se quam informet, & per consequens anima ipsa præcedit corpus. Hoc autem non concedit Arist. quoniam in 12. meta. negat formam præcedere id cuius est forma, ad differentiam cause agentis, ergo vel anima humana non est forma corporis, & sic tu cades in errorem commentatoris, vel non est ab extrinsecus adueniens. Tertio si anima ab extrinsecus aduenit, ergo non est in potentia materiæ, quod est falsum. Consequentia conceditur aduersario, falsitas autem consequentis sic probatur. Si non est in potentia materiæ, ergo non est constituta in esse per subiectum, sed subiectum constituitur in esse per ipsam, ergo de necessitate præcedit ipsum subiectum sicut intelligentia orbem. Quarto si anima venit ab ex-

trinsecus, ergo est completa in se, nam si venit ab extrinsecus habet esse per se, & operationem per se, ergo cum altero putata cum corpore humano non faciet vnum per se. Hæc est. n. conditio eorum ex quibus fit vnum per se ex 8. lib. meta. ut vtrunque sit in potentia, & neutrum sit per se. Quinto si anima extrinsecus aduenit, ita se habebit humanus animus ad hominem sicut intelligentia ad orbem, quo dato, cur non ita plurificantur intelligentiæ in eadem specie sicut plurificantur animæ: forte dices. Animam humanam ideo plurificari in eadem specie, quia licet non pendeat à corpore tamen habet necessariam habitudinem ad corpus ut ad suum informabile, hanc autem habitudinem non habet intelligentia ad orbem, & ideo non potest multiplicari ut anima in eadem specie. Sed hoc non proficit, quoniam secundum Aristotelem intelligentia habet talem necessariam habitudinem ad orbem, quoniam informat ipsum, & non potest non informare, quando quidem nihil contingens in æternis reperitur. Sexto, si extrinsecus aduenit, ergo non esteducta de potentia materiæ, tunc ultra, ergo non habet necessariam habitudinem ad materiam, tunc ultra, ergo non diffinitur essentialiter per corpus physicum. Hoc autem est contra Arist. in 7. meta. ubi docet animam & accidentia & reliquas formas diffiniri per subiectum. Ad hoc, ut scias in quo sensu anima extrinsecus aduenit aduerte quod hoc potest intelligi tripliciter. Primo quod adueniat extrinsecus quia producit ab agente extrinsecus. i. existente extra materiam, qualis est Deus. Secundo quia non educitur de potentia materiæ ad actum. Nam omnis forma materialis potentialiter est in materia, & per actionem agentis naturalis transmutantis materiam educitur de potentia ad actum, & sic videtur esse intrinsecus, in materia, & non aduenire ab extrinsecus, & per oppositum anima dicitur venire ab extrinsecus, quia de potentia materiæ non educitur, nec homo generans actione sua producit animam sed disponit materiam ad ipsius receptionem, producit autem ab agente primo, tertio quod dicatur extrinsecus aduenire quia non solum sit producta ab agente primo, sed prius duratione producta fuerit quam recepta in materia, sicut qui ponunt animas productas ab æterno, deinde secundum quod in tempore corpora formantur inroducuntur, ex his tribus sensibus primus & secundus est verus. Tertius autem non admittitur, quoniam anima non esset vere forma. Nam ut tenet Arist. in 12. meta. text. 16. forma non præcedit tempore id cuius est forma, ex hac ergo distinctione respondendo ad argumentum concedo quod extrinsecus aduenit iuxta primum & secundum sensum, nego autem iuxta tertium, quoniam non esset forma. Ad primam probationem falsitatis consequentis nego consequentiam. Ad probationem, procedit ex falso intellectu, credit enim extrinsecus aduenire æquipolere huic quod est prius existere, deinde in materia recipi, hoc nos non dicimus, esset. n. exponere extrinsecus aduenire iuxta tertium modum, quem nos non acceptamus sed primum & secundum. Dico ergo quod optimè intelligibile est aliquid ab extrinsecus aduenire iuxta primum & secundum sensum, & tamen non prius existere. Ad secundam nego consequentiam, ad probationem nego quod informare præsupponat esse formam prius duratione existentis, & nego omnia sequentia. scilicet quod esse sit prius in se duratione quam informet, & quod anima duratione præcedat corpus. Nam sufficit hanc consequentiam esse veram, anima nunc informat corpus, ergo anima est, hæc autem est falsa, ergo anima prius tempore est. Ad tertiam concedo consequentiam, & nego falsitatem consequentis. Ad cuius probationem, concedo consequentiam primam, & nego secundam, quæ est hæc, ergo de necessitate præcedit subiectum. Nec est simile de intelligentia, quoniam illa est substantia completa in natura sua, & non est apta informare, sed mouere orbem. Non inconuenit autem ex 12. meta. text. 16. mouens præcedere duratione suum mobile, quod repugnat formæ, ut tenet Arist. in eodem loco. Ad quartam nego consequentiam sumendo ly completa in se. i. perfecta ut intelligentia, ita quod non habeat rationem partis. Ad probationem concedo, quod habet esse & operationem per se, & nego hanc consequentiam, ergo cum altero non faciet vnum per se. Ad probationem dico, quod intentio philosophi est ista. Si aliqua sint actus, ita quod sint perfecta in natura sua, ut duo indiuidua eiusdem speciei, non possunt facere vnum per se. Si autem vnus eorum sit actus, & non completum in natura, siue habeat esse per se, siue non, dummodo sit aptum actuare illud potentiale, cui aduenit, non inconuenit, quod constituatur vnum

compositum per se & quoniam anima est talis, ideo licet habeat esse & operationem per se, non inconuenit, quod uita materiae faciat unum per se. Arguens autem decipitur ex eo quod credit animam esse completam in natura, si habet esse per se, & non posse esse partem essentialem hominis compositi, quae omnia sunt falsa, ideo ratio sua nulla est. Ad quintam nego similitudinem. Nam humanus animus se habet ad hominem, ut forma dans esse homini, intelligentia autem se habet ad orbem non ut informans, sed ut moués. Ad obiectionem factam, concesso sicut concedimus, animam habere necessariam habitudinem ad corpus, ut ad proprium informabile, quam negamus intelligentiam habere ad suum orbem, rationabiliter anima multiplicatur, non autem intelligentia. tunc negamus, quod haec sit doctrina Arist. scilicet intelligentiam informare, & non posse non informare orbem. Imo docuimus in lib. 12. metaphys. in q. nostris repugnare naturae perfectae intelligentiae esse formam informantem corporis, siue incorruptibilis, siue corruptibilis. Ad sextam negantur omnes consequentiae, quoniam & si producatur à primo agente, & non & educatur de potentia materiae, tamen non producitur nisi in ordine ad corpus, quod habet viuificare. Non enim anima producitur ratione sui, sed ratione compositi, quod habet constituere, & ideo necessarium habet habitudinem ad corpus suum, & per ipsum quidditatiue diffinitur, licet esse suum non seruetur ex corpore, sicut esse animarum irrationalium, quarum nulla operatio expletur sine corpore. Obiectio autem aliquam habet apparentiam, si ueniret ab extrinseco, & producitur gratia sui, ut intelligentiae, &c.

Nona, vere immortale non potest esse principium formale nutritionis augmenti & sensationis. Sed anima humana est principium nutritionis & augmenti & sensationis, cum sit eadem nutritiua, sensitua & intellectiua, ergo non est vere immortalis.

Ad hoc dicitur, quod maior non est vera, nisi in altero duorum sensuum. Primo est vera, si illud sit praecise principium nutritionis augmenti & sensationis, & non ultra. Si autem ultra praedicta sit principium intelligendi, maior illa est falsa, quoniam ex gradu intellectuali habet quod sit mortalis, sub quo virtualiter continet gradum vegetatiuum & sensituum, & quoniam anima intellectiua est talis, ideo maior est falsa. Secundo est vera de immortali non vnibili materiae. De vnibili autem materiae, ut est anima, est falsa, nam ex quo vnitur materiae, dat omne esse, quod dat formae inferiores, & ultra dat esse intellectiuum, & ab eo proprie sortitur immortalitatem. Arguens autem iudicat praecise de anima intellectiua, sicut de anima bruti, ideo nihil concludit.

Decima ratio. Non est apud me intelligibile quid recipiat anima ex materia, ita quod possit stare sine materia, non tamen produci sine materia, ut dicunt aduersarij. Nam quod dicitur de aqua congelata in aliquo vase, quae ut formam illam recipiat, indiget vase. Sed vase fracto adhuc remanet in illa figura, non ualet in hoc proposito. Nam constat, quod aqua à vase recipit talem figuram, & terminationem. At quid anima recipiat à materia, apud me non est satis intelligibile. Non enim recipit substantiam, quoniam non formam, non materiam, non compositum, neque recipit accidens, quoniam non absolutum, non respectiuum, ut inducenti parere potest, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quod anima nihil recipit à materia, & tamen potest remanere separata à materia, licet non producatur sine materia, quam habet informare. Nam recipit à primo agente proprium esse ita proportionaliter huic corpori, quod habet informare quod non alij, quoniam omnis perfectio & forma vnibilis materiae recipitur in ea secundum capacitatem & dispositionem materiae, & ideo in vno quoque corpore habet determinatum esse commensuratum illi corpori, nam secundum doctrinam Arist. in secundo de anima, quilibet actus fit in propria materia. Illi autem similitudo de aqua congelata, quam adducit Auicenna ad declarandum incorruptibilitatem animae, tenet in hoc. Sicut aqua dum congelatur recipit figuram à vase comme isuratam vase, sic anima recipit à primo agente esse commensuratum corpori informabili ab ea, & licet non recipiat tale esse à corpore, ut aqua figuram à vase, tamen corpus est ratio, siue occasio, quod in tali esse producatur à primo agente. Non enim producitur haec anima nisi in ordine ad hoc corpus informandum, & ideo sicut aqua retinet figuram sibi impres-

sam à vase, sic anima retinet esse sibi impressum à primo agente in ordine ad hoc corpus, etiam destructo hoc corpore. Quare, &c.

Vndecima, si anima post mortem intelligit, ergo potest amare, appetitus enim cognitionem sequitur. Huic autem reclamatur Arist. in 1. de anima tex. 65. qui ab anima post mortem remouet intelligere propter intellectus passiuam corruptionem, & per consequens omnem actum appetituum, ut amare, desiderare, &c.

Ad hoc iam diximus supra, quod Arist. in proœ. 1. lib. & in 1. lib. recitatiue & disputatiue de anima procedit, nec de terminat de incorruptibilitate animae nisi in 3. lib. tex. 20. & ideo non fit fundamentum in eo, quod dixit in primo libr. in tex. allegato. nisi quod sicut post mortem mutatur modus intelligendi, sic & modus amandi. Amat enim appetitu intellectuali, id est voluntate, & non appetitu sensitiuo qui est organicus & corrumpitur sicut intellectus passiuus id est phantasia siue cogitatiua.

Duodecima, si ad interitum hominis non interit anima, ergo ad generationem hominis non generatur anima scilicet à generante hominem, quo dato, generatio hominis non esset vera generatio, nec corruptio vera corruptio termini que transmutationis non essent vniuersaliter habitus, & priuatio, quod contradicit Arist. in primo physicom.

Ad hoc conceditur prima consequentia, & negatur secunda, nam ad veram generationem hominis sufficit hanc disunctionem esse veram. Generans hominem attingit formam hominis vel secundum esse, vel secundum vnionem cum suo subiecto. Secundum esse quidem si de potentia materiae educeretur forma hominis. Secundum vnionem autem, si ita disponit subiectum, quod sit capax formae hominis, dato quod eam non produxerit. Dico igitur hominis generationem esse veram, propter secundam conditionem, & est nobilior generatione brutorum. Nam homo generans attingit secundum esse animam vegetatiuam, sensitiuam, & disponit sufficienter materiam ad vnionem animae intellectiuae. In cuius receptione corrumpuntur praecedentes scilicet vegetatiua & sensitua, & secum defert praedictos gradus continens eos virtualiter secundum doctrinam Aristotelis in secundo de anima, ubi comparat animam figuris, &c. & de hac continentia iam supra locuti sumus. Similiter dico, quod corruptio hominis est vera corruptio, quoniam huius disunctionis altera pars est vera. In corruptione hominis vel anima corrumpitur, vel desinit informare materiam, ad quam definitionem corrumpitur forma totius, quae dicitur humanitas, & haec secunda pars est vera, & sic desinit esse hic homo, quia haec humanitas desinit, & verum est dicere ex parte generationis, ex non homine fit homo, & ex parte corruptionis, ex homine fit non homo, & sic saluatur vniuersaliter, quod termini transmutationis sunt priuatio & habitus, siue esse & non esse. Patet igitur, quod haec ratio non concludit.

Decimatertia, si anima fortis per infinitum tempus non fuit, & postea incepit esse, & nunquam deficiet postquam incepit esse, ergo & mundus per infinitum tempus potuisset non fuisse, & postea incipere, & nunquam desinere, quod tamen repugnat Arist. in 8. phys. & 1. celi, & 2. de generatione, & 13. meta. & probatur consequentia, quoniam apud philosophum idem est iudicium de toto & partibus, nam si totum fit, & partes fiunt, & si partes non fiunt, totum non fit, constat autem animam esse partem entium mundi, ergo si anima fortis non semper fuit, potuit & mundus non semper fuisse.

Ad hoc negatur consequentia secundum doctrinam Arist. quoniam non est eadem ratio de mundo & de anima, nam mundus ad sui productionem nihil supponit, anima autem quia est forma in sui productione supponit suum formabile, & ideo rationabilius posset poni secundum philosophiam mundus aeternus, quam omnes animae aeternae, & quando probatur consequentia, quoniam secundum philosophum idem est iudicium de toto ex partibus, &c. Hoc non est verum, nisi de partibus principalibus mundi, quae ex 1. celi sunt corpus caeli & 4. elementa. De partibus autem secundariis, & praecipue singularibus non est verum, aliter oporteret omnia indiuidua semper fuisse, & nunquam deficere, cuius oppositum videmus, constat autem, quod anima fortis est quid singulare, & ideo ratio non concludit.

Decima quarta definitio non potest separari à diffinito. Sed esse actum corporis physici est diffinitio animae, & per consequens animae humanae, ergo non potest fieri per aliquo

aliquam potentiam quin sit actus corporis, ergo est inseparabilis à corpore. Nec valet dicere quod sufficit animam esse actum corporis actu, vel aptitudine. Hoc. n. repugnat Arist. Sicut enim non concederet, accidens posse actu separari à subiecto. Sic minus concederet de anima, quoniam indissolubilius est vnio per se, qualis est inter formam & materiam, quā vnio per accidens, qualis est subiecti & accidentis.

Ad hoc dicitur, quod ex natura animæ competit ei vniri corpori, & per consequens esse actum corporis, sicut corpori leui secundum se conuenit esse sursum, & conceditur esse inseparabile ab anima esse actum corporis, non tamen est inseparabile actuare corpus, sicut non est inseparabile à corpore leui esse sursum. Stat. n. quod corpus leue detineatur deorsum, & tamen non definit esse leue, sic etiam stat animam humanam non actuare, siue informare corpus, & tamen non definit esse actum corporis, quia esse actum corporis est prædicatum essentialiale de anima in primo modo per se, ex consequenti inseparabile. Illa autem responsio, quam adducit arguens. f. q. sufficit animam esse actum, &c. nõ curatur à nobis. Sed dicimus, q. sufficit anima, quæ semper est actus corporis, actuare corpus de facto, vel aptitudine, sicut sufficit corpori leui, quod semper est actu esse actu vel aptitudine sursum, & cum dicitur, q. hoc repugnat Aristoteli, quia sicut non concederet, &c. negatur similitudo, nam accidens separari à subiecto esset miraculum, quoniam accidentis esse est inniti subiecto, miraculum autem non acceptaret Aristoteli. sed animam esse separabilem à corpore nõ est miraculum, quia cum habeat esse per se, vt diximus supra, non pedit suum esse à corpore, sed communicat ipsum, & potest à corpore separari. Quod sit maior vnio animæ ad materiam quam accidentis ad subiectum conceditur, sed nego, quod sit indissolubilius, eo quod vt dictum est, accidens innititur subiecto, sed anima humana licet actuet materiam, non tamen innititur materiæ.

Decimaquinta, si anima est incorruptibilis, & forma dans esse homini, & generatio hominum esse æterna, vt arbitrat Aristoteli in 2. de generatione, & in 12. meta. ergo animæ humanæ separatæ à corpore sunt actu infinitæ, quia si mundus est æternus in finiti homines decesserunt, ergo tot animæ sunt separatæ, quot homines decesserunt, ergo sunt infinitæ actu. Sed Aristoteli negat infinitum actu tam in magnitudine quam in multitudine ex 3. phys. ex 1. cæli, ergo non concederet animam esse incorruptibilem.

Ad hoc dicit Herueus in primo quolibet q. 11. q. licet id repugnet principiis Aristoteli cum hoc tamen stat non fuisse expressam sententiam suam, animam esse corruptibilem, quia forte non aduertit hanc repugnantiam. Verum quia hæc in aduertentia non decet tantum philosophum, ideo melius est dicere cum B. T. in lib. 2. contra gentes c. 81. quod Aristoteli non reprobaui dari infinitum actu in 3. lib. phys. & in 1. cæli, nisi in naturis quantis & corporeis. Sed animæ separatæ iam sunt in corpore & penitus sine magnitudine, ideo ratio non militat contra propositum.

Sed contra hanc responsionem arguitur. Dicit Aristoteli in 3. phys. tex. 36. Separatum quidem igitur esse infinitum à sensibilibus impossibile est, ergo & in naturis incorporeis & separatæ à materia, quales sunt animæ post mortem, negat Aristoteli posse dari infinitum actu.

Respondetur, Aristoteli vt patet in illo textu, per infinitum separatum à sensibilibus non intendit infinitum in naturis incorporeis, sed intendit infinitum separatum pythagoricum, quod pythagoras ponebat esse principium, & quod secundum pythagoram est quantum infinitum separatum ab omni materia sensibili, sicut si imaginaremur spatium in finitum extra mundum. Nos autem nunc loquimur de infinito separato penitus non quanto secundum multitudinem in natura intellectuali, quales sunt animæ exutæ à corporibus. De quo infinito incorporeo dicit Aristoteli in 3. Phys. in textu 39. Sed fortassis est vniuersalior quæstio (quasi dicat quam spectet ad Physicum) si contingit in mathematicis & in intellectualibus, & in nullam habentibus magnitudinem infinitum esse. Nos autem intendimus nunc de sensibilibus. Hæc ille, ex quibus patet, q. si hæc quæstio. s. vtrum contingat in naturis intellectualibus, & in non quantis dari infinitum, est vniuersalior quam spectet ad physicum ergo spectat ad metaphysicum, & tamen in tota metaphysica non determinauit non posse dari infinitum in non habentibus magnitudinem.

Sed contra hoc arguit Petrus Pomponati⁹ dicens, imo

Iauel. Tom. iij.

determinauit in lib. 11. in Lectione. n. secundum signationem. B. Tho. & probauit, & concludit non dari infinitum actu, in naturis sensibilibus, nec in separatis, vt videre poteris.

Respondetur, loquitur illic Aristoteli in eodem sensu, quo & in 3. phys. f. contra pythagoram. Nam est quasi idem textus, & sunt quasi eadem verba, & est potius repetitio quam noua determinatio, & sic patet, quod non repugnat doctrinæ Aristoteli dari infinitas animas separatæ, quæ sunt penitus immateriales.

Decima sexta, si anima post corpus manet, cum sit imperfecta vt pote pars extra totum, aut stabit in æternum extra corpus, aut dabitur resurrectio naturaliter, neutrum concederet Aristoteles, ergo post corpus anima non remanet. Primum quidem non concederet, quoniam daretur violentum perpetuum contra id, quod tenet ipse in 2. cæli in tex. 18. vbi habetur, quod impossibile est violentum esse perpetuum. Violentum est autem anima separari à corpore. Prætereà. Si anima per tam momentaneum tempus est in corpore, & per infinitum extra corpus, se habebit corpus ad animam magis accidentaliter quam sessio ad hominem, & gladius ad gladiatorem. Est enim vtrobique aliqua proportio quoniam per tempus finitum, hic autem non, quoniam finiti ad infinitum nulla est proportio. Secundum etiam non concederet, quoniam apud philosophum à priuatione ad habitum non datur regressus, ergo, &c.

Ad hoc diceret Aristoteles qui est extra fidem, quod anima stabit in æternum extra corpus, & quando primo arguitur, quod daretur violentum perpetuum secundum Aristoteli. negatur consequentia. Nam violentum in doctrina Aristoteli & secundum veritatem proprie est illud, quod est in opposita dispositione suæ naturæ constitutum, & habet principium sibi intrinsecum, quo potest reduci ad statum suum naturalem, & hoc modo terræ esse sursum est violentum, quoniam est extra suum locum naturalem, & habet principium sibi intrinsecum. f. grauitatem, qua potest reduci ad locum suum, & est in rerum natura locus deorsum naturaliter receptiuus ipsius terræ. Si autem poneretur res extra locum suum, & destrueretur locus eius, & non posset reparari per agens naturale, & non haberet principium intrinsecum, quo posset reduci ad locum suum, tale non diceretur proprie violentum, & non esset inconueniens sic perpetuari, & in primo sensu loquitur Aristoteli in secundo cæli. Nam semper loquitur de corporibus naturalibus habentibus principium intrinsecum, quo possunt reduci ad locum suum proprium, & stat locus eorum naturalis, & quoniam anima separata est in secundo sensu, quia non habet in se qualitates, quibus possit se reunire corpori, nec datur agens naturale potens reformare idem corpus numero, ideo non inconuenit tale violentum improprie dictum esse perpetuum, nec de tali violento intendit in secundo cæli. Et quando secundo arguitur. Si anima per tam momentaneum, &c. Hoc non militat contra propositum nostrum. ponimus. n. animam per paruum tempus informare corpus, quod quidem paruitas temporis nõ est sumenda ex parte animæ, eo quod cum sit indeficiens, potens est ex se semper informare corpus, sed defectus est ex corpore composito ex contrariis de necessitate naturæ dissolubili, & quando arguitur, quod magis accidentaliter se habebit, &c. negatur consequentia. Ad probationem, nego quin seruetur maior proportio inter animam & corpus quam inter sessionem, &c. quoniam & si non seruetur proportio, quo ad tempus mensurans vnionem animæ cum corpore, & tempus mensurans statum suum separatum, seruetur tamen ea proportio, quæ est inter propriam formam & propriam materiam, ex qua prouenit, quod sit vnium per se, etiam si per solam horam stare talis vnio, quæ quidam proportio non seruetur inter sessionem & hominem, nec inter gladium & gladiatorem tenentem manu gladium, quoniam hic nulla est vera vnio. & miror quod hic homo, ad tales nugæ se cõuertat in re tam graui, qui non solum conatur ostendere Aristoteli tenuisse animæ deficientiam, sed deducit ad derisiones etiam tenentes oppositum, sed hoc transeat.

Decima septima anima est immortalis, supposito quod sit forma corporis, ergo creatur & de nouo. Sed hoc contradicit philosopho in 8. phys. à text. 6. vsque ad text. 13. quoniam vult quod ab agente æterno, qualis est Deus secundum Aristoteli. & à voluntate antiqua non possit prouenire effectus nouus sine mutatione ipsius agentis æterni. Consequentia quidem probatur, quoniam si non creatur, educitur de potentia materiæ, omne autem tale est corruptibile, aliter non

solum anima humana, sed & animæ brutorū & omnes formæ rerum inferiorum essent incorruptibiles, & si non creatur de nouo, non erit forma corporis humani, quia forma non præcedit id, cuius est forma ex 12. metaphys. tex. 16.

Ad hoc respondent Herueus & Scotus, & concordant in hoc, effectus nouus productus ab agente æterno secundum doctrinam Arist. potest esse duplex. Primo qui sit completus in specie, & ad productionem suam non requirat nouum susceptiuum, sicut si Deus hodie produceret lapidem, & sic Arist. reputaret impossibile talem effectum produci de nouo ad agente æterno sine sui mutatione. Secundo qui sit incompletus, & ad sui productionem requirit nouum susceptiuum, quod quidem producitur à causis secundis, puta à cælo, & particulari agente naturali, vt quando generatur corpus susceptiuum animæ humanæ, & tunc dicitur ad argumentum, quod Arist. non reputaret inconueniens talem effectum de nouo à Deo produci. Nec erit necesse ponere mutationem in Deo, sed in causis secundis, & in ipso susceptiuo. vnde sufficit apud Arist. hanc esse veram. Ab agente æterno non prouenit effectus nouus sine mutatione ipsius agentis, vel ipsius passi id est, receptiui, & in proposito de anima humana. secunda pars est vera, ad quam nullum sequitur inconueniens, patet igitur quomodo in doctrina Arist. possumus sustinere animam de nouo creati, vt sit incorruptibilis, & sit forma dans esse homini, sicut & veritas est.

Istæ sunt principales rationes, in quibus totum suum conatum fecit ad suadendum animæ humanæ mortalitatem de mente Aristot. quas ex doctrina eiusdem soluere studui, ne solus Pomponatius, & eius imitatores sapientes appareant. Verum quia Augustinus Nifus Suesanus in libr. suo contra Pomponatium non solum tenet & probat animam immortalem secundum Arist. Sed & assumpsit onus cum Ambrosio Parthenopeo antistite, qui & contra Pomponatium scripsit, declarandi statum animæ separatæ quo ad esse in loco, & sumere cognitionem non à sensu, sed à superis, & præmiari ex virtutibus, quas secum defert, & poenas dare ex vitiis, & vnam aliam cognoscere, & vnam ad alteram loqui, & pro illo statu fieri inflexibilem bonam in bonum, malam in malum. Ideo Pomponatius contra hæc omnia arguit, conaturque ostendere, nullam horum rationem ex doctrina Aristot. posse demonstrari, sed fuisse humanas inuentiones. Nos autem dicimus, quod & si hæc expresse non habeantur in philosophia Aristot. quoniam ex sensu, à quo semper incipit philosophari, deprehendere non potuit ista, tamen posito animam posuerit immortalem, vt docuimus in 1. c. Si quis docuisset eum in solutionibus, quas adducemus. vt consonans veræ philosophiæ, non negasset eas. Debes. n. sci re mi Alexandræ, quod philosophia Aristot. & philosophia vt philosophia nõ conuertuntur. Nam philosophia in se est scientia meræ veritatis & perfectæ, philosophia autem Aristot. non est perfectæ, nec in omnibus approbatur, & ideo posito, quod ex philosophia Aristot. non posset reddi certa ratio supradictorum, tamen ex ipsa philosophia reddetur, quam vt dixi Arist. audiens non negaret, licet sensu ad talem altitudinem ascendere non potuerit.

Tu igitur aduerte, quod Pomponatius primo arguit animam separatam non posse esse in loco, neque beato, neque misero, & sic arguit. Si est in loco, ergo illuc tendit quando separatur à corpore. Ante. n. non est in loco, nisi quia corpus quod informat est in loco. Sed separata non potest tendere ad locum, quia aut tendit per motum, aut per subitam mutationem. Non per motum, quoniam secundum Arist. in 6. phys. indiuisibile non mouetur per se. Sed anima separata est indiuisibilis, cum sit purus spiritus, ergo non tendit ad locum per motum, nec per subitam mutationem, quoniam aut per se illuc transmutata est, aut per accidens. Non per se, quoniam sicut Arist. reputat impossibile indiuisibile moueri per se, sic etiam mutari per se non per accidens, quoniam cum sit separata à corpore, non transmutatur ad transmutationem corporis, sicut transmutabatur vnita corpori, & sic patet, & anima separata non potest tendere ad aliquem locum, nec esse in loco secundum Arist. ex consequenti separata non remanet.

Ad hoc respondetur præmittendo, primo qualis sit motus localis substantiæ incorporeæ, & qualis substantiæ corporeæ. Tu igitur aduerte, quod motus quasi æquiuoce dicitur de motu rei incorporeæ, & de motu corporis. Nam sicut esse in loco alia ratione conuenit corpori, quia sua quanti-

tate dimensua commensuratur loco & continetur ab eo, & alia ratione conuenit substantiæ incorporeæ, quia suam virtutem applicat loco, sed non continetur, nec circumdatur loco. Sic moueri localiter, alia ratione conuenit corpori, alia substantiæ incorporeæ, mouetur. n. corpus, pro quanto suam quantitatem dimensiuam successiue applicat partibus loci. Vnde illi diuersi contactus quantitatum sunt motus corporis. Mouetur autem substantia incorporea, pro quanto suam virtutem applicat diuersis corporibus. Vnde illi diuersi contactus virtuales sunt motus eius, & esse in loco, est suam substantiam per virtutem, & operationem, siue passionem esse applicatam alicui corpori, stantibus his dico ad argumentum quod arguens laborat in æquiuoco, concludit. n. quod anima non tendit ad locum motu, nec mutatione physica, nec etiam id cõcederet Arist. quoniam talis conuenit soli quanto & diuisibili. Non concludit autem quin anima moueatur ad locum, motu quo mobilis est substantia incorporea, vt exposuimus, nec inconuenit tali motu moueri indiuisibilis substantia, quæ est extra genus quantitatis nec Arist. in 6. phys. quæ negat indiuisibile posse moueri intendit de indiuisibili incorporeo, sed de indiuisibili in genere quantitatis, quale est punctum vt patet inspicienti textum illic.

Sed dices, Arist. in tota doctrina sua non ponit nisi motum physicum, qui conuenit soli quanto & diuisibili quantitatie ex 6. phys. Item non ponit esse in loco, nisi commensuratiue, quod conuenit soli corpori, quia ponit æqualitatem inter locum & locatum ex 4. phys. Ergo iste responsiones non acceptarentur ab Arist.

Respondetur, imo Arist. vltra motum physicum, quem dicit esse actum imperfecti, quia est actus existentis in potentia ex 3. phys. ponit motum, qui est actus perfecti, quales sunt motus intellectus & voluntatis, & delectari & tristari, vt patet in 8. libr. Ethic. ergo non negaret hunc motum, qui est actus perfecti à substantia incorporea, qualis est anima separata. Item falsum est ipsum non ponere esse in loco nisi commensuratiue. Nam in 3. phys. in fi. ponit mouens applicatum primo cælo in oriente, quoniam ex parte orientali incipit mouere, constat autem quod cum sit intelligentia non est in loco per quantitatem, sed dicitur esse in oriente, quia illic primo applicat virtutem suam motiuam. Qualem ergo localitatem attribuit motori incorporeo, talem non negaret ab anima exuta ab omni corpore. Non ergo istæ responsiones sunt contra doctrinam Aristot.

Secundò arguit, quod nullam cognitionem accipiat à superioris, siue à Deo, postquam est separata, nam ex 8. phys. Ab agente æterno & immobili nihil prouenit, nisi mediante motu æterno. Constat autem hanc cognitionem, & impressionem specierum intelligibilium non fieri in intellectu animæ separatæ mediante motu cæli æterno, ergo Aristot. non concederet hanc conclusionem.

Ad hoc respondetur, quod dictum philosophi in 8. phys. communiter exponitur, vt notat subtilis Herueus in 2. sent. dist. 11. q. 1. quantum ad effectus corporeos, & formas materiales, quæ producuntur de potentia materiæ concurrente motu cæli, vt causa vniuersali, non autem tenet respectu animæ intellectiue quæ immediate exit in esse ab agente primo sine causa media, nec tenet respectu specierum intelligibilium & conceptus intellectus & actus intelligendi, eo quod intellectus non subiicitur directæ motui cælesti, nisi pro quanto ad actum intelligendi concurrunt phantasmata, dum anima est vnita corpori. Cum igitur anima separata sit absoluta à phantasmate, non est necesse, quod perficiatur ab agente æterno quo ad intellectum & intellectiōnem mediante motu cæli, sed potest immediate recipere species intelligibiles, sicut recepit esse ab agente primo.

Tertiò arguit, quod vitia & virtutes morales, non remaneant in anima separata, si vitia remanent, puta gula, aut luxuria, ergo posset appetere, & eligere, comedere, aut luxuriari, hoc autem est falsum, quoniam ex 3. Ethic. electio non est impossibile, comedere autem & luxuriari non est possibile in anima separata, vt patet ergo, &c. Quo ad virtutes sic arguitur. Virtutes morales secundum Aristot. ordinatæ sunt ad operationes studiosas, vt temperantia ad frenandum appetitum gulæ & veneris, fortitudo ad aggrediendum discrimina secundum quod oportet, hæc autem operationes non potest habere anima separata vt patet, ergo frustra in æternum essent in anima, quod repugnat doctrinæ Aristot. qui nihil frustra admittit in vniuerso.

Ad hoc dicitur, quod ratio concludit nec vitia nec virtutes

rutes morales remanere in anima separata ea ratione, qua remanent in anima coniuncta, vt probat argumentum. Remanent autem alia ratione, scilicet in ratione meriti & demeriti, non quidem vt in via, sed vt in termino, nam nisi virtus moralis hic acquisita, & per quam operatus est sortis virtuositas non remaneret in anima quo ad meritum, nullam conseretur foelicitatem ex morali vita, qua vixit, fundatur enim praemium virtutis in merito studiosae operationis, sicut forma in dispositionibus conseruatiuis. Idem intelligendum est de vitiis, quae nisi remanerent in anima quo ad demeritum, non subiret poenae, Quare, &c.

Quarto arguit, quod vna non cognoscit aliam, quam aut cognoscit per essentiam suam, aut per essentiam animae cognita, aut per speciem intelligibilem representatiuam animae cognita. Sed nullum istorum modorum admitteret Aristoteles. non primum quoniam qua ratione cognosceret vnam cognosceret omnes, & sic cognosceret infinitas, quod non admitteret Aristoteles. Non secundum, quoniam informaretur essentia infinitis. Non tertium, quoniam Aristoteles non admittit speciem intelligibilem nisi abstractam a phantasmatibus, quod non potest saluari in anima separata, ergo, &c.

Ad hoc dicitur, quod Aristoteles admitteret primum modum, eo quod cum omnes animae sint eiusdem speciei, nec distinguantur gradibus formalibus, vna non est essentialiter & formaliter superior ad alteram quo ad substantiam, & ideo essentia animae cognoscentis est sufficiens principium, quo potest se & alias cognoscere, & cum arguitur quod qua ratione, &c. negatur consequentia, quae quidem tenet de possibili successiue in hoc sensu, qua ratione potest cognoscere vnam potest cognoscere omnes, non simul, quoniam cognosceret infinita, sed successiue, quia potest applicare se ad cognoscendam istam, deinde illam, & illam, &c. & ex hoc modo non sequitur quod cognoscat infinita, sed in infinitum, quod non est inconueniens ex doctrina Aristoteles in 3. physica.

Quinto arguit, quod vna non loquatur ad alteram, quam in locutione illa erit successio conceptuum, sicut in locutione vocali est successio verborum, sed peripatetici in substantiis abstractis a materia non admittunt successione, eo quod illa fit ratione cogitativa, quae cum sit organica, non est in separatis a materia. Item vna loquente omnes audirent, & sic essent infiniti auditus simul. Item de omnibus omnes simul loquerentur, non. n. est maior ratio quod loquantur de vna re magis quod de alia. Haec autem sunt absurda, ergo, &c.

Ad hoc concedo maiorem, & negatur minor, ad probationem negatur, quod omnis successio conceptuum fiat per cogitatiuam, sed fit ex conditione intellectus finiti, qui quantumcunque sit perfectus, non potest simul actuari pluribus intellectibus nullum ordinem vel dependentiam habentibus adinuicem, & ideo necesse est, vt ab vno conceptu transeat ad alium pro alio & alio instanti & quando dicit Aristoteles arguens quod peripatetici non admittunt successione in separatis, hoc non est verum, nisi in primo principio, i. deo glorioso, cuius signum est, quod Aristoteles in 12. metaphysica text. 51. loquens de intellectu principij dicit, non transmutatur diuinius, non. n. habet ipsum bene in hoc, aut in hoc, sed in toto quodam quod optimum. Et cum arguit, quod vna loquente omnes audirent, negatur consequentia. Nam quod vna anima separata loquatur, i. manifestet conceptum suum, pendet ex libera voluntate sua, ergo ex eadem voluntate pendet, quod ordinet suum conceptum sic manifestandum huic animae, quod non alteri, & vt sic loquetur vni, & non alteri, & audietur intellectuali auditu ab vna, & non ab altera, & ista sunt in potestate loquentis. Vnde non est necesse ponere infinitos auditus si-

mul, & cum arguit, quod de omnibus omnes simul loquerentur, negatur consequentia, quoniam in abstractis substantiis non est locutio nisi de motibus liberi arbitrij, de quibus non est necesse, quod sit eadem ratio in omnibus, ita quod vnaquaeque substantia abstracta loquitur vt sibi complicit, & conueniens iudicat, & sic non est necesse omnem loquentem de omnibus simul loqui. Nam si in abstractis secundum Aristoteles nullus defectus est, nec confusio, nec in ordinatio conceptuum admittenda est, constat autem, quod si omnes de omnibus simul loquerentur intolerabilis sequitur confusio, & ideo illa consequentia neganda est etiam in doctrina Aristoteles.

Sexto arguit, quod non fiat inflexibilis, quia si determinatur ad alterum oppositorum, ergo natura libera & contingens transmutaretur in necessariam, & sic in aliam naturam, quod est contra naturam voluntatis, quae est potentia rationalis, & ex natura sua potest in opposita ex 9. metaphysica. Si dicas quod hoc est ex impedimento. Contra. Hoc impedimentum esset contra naturam, & sic apud philosophum non esset perpetuum. Ad hoc dicitur, quod anima separata, quae vt est rationalis, est libera, dupliciter consideratur. primo vt natura intellectualis est, secundo vt est sic affecta, vel vt est in termino suo. primo quidem modo considerata semper est libera, quoniam quidditatiue & ex natura sua est potentia cum ratione, quae est oppositorum ex lib. 9. metaphysica. Secundo autem modo considerata recipit immobilitatem ex termino vitae suae. Sicut lapis ita quod attingit centrum terrae ex suo descensu, sortitur immobilitatem ex se, & tamen remanet lapis, quoniam ex natura sua semper mobilis est, & quia grauis est, & quia grauitatem habitualement retinet existens in centro. Ad argumentum ergo dico, quod anima separata determinatur ad alterum oppositorum respectu boni aut mali, non ex natura sua, sed quia est in termino vitae, & ideo negatur prima consequentia, quae vtique teneret, si determinaretur ad alterum oppositorum considerata in primo sensu dato. De responsione illic data, non curo, quoniam hoc non prouenit ex impedimento, sed ex conditione talis status.

Constat igitur quam rationabiliter sustinere possumus Aristoteles tenuisse animae humanae indeficientiam, docuimusque ex solutionibus datis, nec Herueum, nec Scotum, nec Tho. Caet. nec Petrum Pomponatum praualuisse contra propositum nostrum. Inter quos Herueus & Scotus modestius processerunt, qui non determinarunt Aristoteles pro certo tenuisse animae deficientiam, sed potius vel oppositum, vel dubium semper fuisse. Thomas quoque Caeta licet definitae posuerit Aristoteles pro certo tenuisse animae deficientiam, tamen in processu suo prudenter se habuit, eo quod ad hoc comprobandum, non nisi ex textu philosophi rationes suas, suaque motiua assumpsit, & conati sumus ex doctrina & fundamentis eiusdem philosophi, ei respondere. Petrus autem Pomponatus magis importune & onerosius se habuit, qui non solum ex apparentibus verbis Aristoteles de paucis rationibus in superficie literae Aristoteles fundatis, sed ex omni etiam leuissimo argumento, erexit se contra propositum nostrum, & testor Deum, quod nisi constantia & patientia valatus tantam improbitatem non potuissim ferre. Est enim per facile videre, quod ad id quod firma ratione persuadere diffidebat, multiplicatis argutiis auditorum animos, & moderni temporis philosophos allicere studuit. Sed gratias Deo, cuius nutu & auxilio nobis datum est ad singula eius obiecta respondere.

Sit hic finis primae partis huius nostris tractatus.

D. CHRYSOSTOMI IAVELLI,

Canapicij,

SECUNDA PARS TRACTATVS, SENTENTIAM

Platonis de anima humanae Indeficientia, continens.

Diui Platonis quem graeci animorum medicum appellarunt eo quod tota eius doctrina non nisi quaedam singularis pietas & docta religio videtur vt infra plenissime constabit, sententiam de animi nostri in-

deficientia per tria capita distinguemus, primo namque considerandum est. Si Plato pro certo tenuit an disputatiue tantum animae nostrae indeficientiam. Secundo supposito quod sic, qua semita ad hanc sententiam & certitudinem

nem deuenit. Tercio quid de animæ statu post hanc vitam docuerit.

CAPVT I.



Irca 1. aduerte Platonem de animæ indeficientia in Phædone, in Phædro, in Thimæoq; ex proposito pertractare. In phædone quidam longa & multiplici disputatione, quam habuit Socrates ad Cebes et Simmiam amicos, & consolatores in carcere. Sic. n. Cebes proposuerat, val

de ambigunt homines ò Socra. ne anima à corpore reparata, nusquam sit vterius, sed eadem die qua homo mortè obierit intereat, neque vsquam vterius sit aliquid. Profecto si esset alicubi collecta in semetipsam, & ab his malis liberata, multa nimirù & bona nobis spes esset ò Socra. Sed ad id persuasione fideque non parua opus est, vt credatur superesse animam post hominis interitum, atque aliquam vim intelligentiamque habere. Hæc Cebes. Socrates autem postquam longo processu disputauerat sic conclusit. Anima mortem quidem vt in superioribus constat nõ recipiet, quemadmodum ternarius nunquam vt diximus par erit neque par erit impar, neque ignis frigidus, neque calor frigiditas. Imminente igitur homini, morte, quod mortale quidem in eo est interit, quod vero immortale incorruptù solusque morti se subtrahit. Itaque maxime omnium ò Cebes anima immortalis incorruptibilisque est. Sic Socrates in phædone conclusit. In phædro autem non disputans Plato, sed demonstrans sic determinat inquires. Oportet autem nos prius de natura animæ diuinæ & humanæ affectus & opera intuentes vera nouisse. Hoc vero demonstratio huius principium sit anima omnis scilicet diuina & humana immortalis est. Quod enim semper mouetur immortale est, &c. Hanc rationem formabimus in secundo capite, & sic concludit. Cum igitur appareat immortale esse quod seipsum mouet, animæ substantiam & rationem hanc ipsam qui dixerit nõ erubescat. In Thimæo autem describit per modum historię hominis formationem, productione animæ immortalis Deo immediate attribuens, corporis vero humani opificium diis secundis. Sic igitur inquit introducens Deum diis secundis committentem animalium & hominis generationem. Tria adhuc genera mortalium nobis generanda restant. Absque horum generatione cælum imperfectum erit. Omnia enim animantium genera ambitu suo non continebit. Contineat autem oportet si mundus est omnino futurus perfectus. hæc vero si à me fiant solo, vitaque donetur, diis adæquabuntur. Quapropter accedite vos secundum naturam ad animalium generatione, ita vt vim imitemini meam, qua in ortu vestro sum vsus, atque eiusdem animalis, quod in ipsis tale futurum est, vt cum immortalibus appellatione conueniat, diuinumque vocetur, principatumque teneat, & iustitiam simul ac vos calat, ego vobis semen & initium, id est animam tradam. Vos cætera, id est corpus exequi par est, vt immortalis naturæ mortalem attextentes faciatis generetisque, (& parum infra.) Itaque dii secundi accepto ab illo, I. Deo maximo, mortalis animæ immortalis principio, id est anima, sui effectorem imitati, ignis, aeris, aqua, terræ particulas, quas mundo rursus redderent mutuabantur, easque inter se copulabant, nõ illis iisdem indissolubilibus vinculis quibus ipsi fuerant colligati, sed talibus quæ propter paruitatem cerni non possent, & ex omnibus vnum corpus efficiebant, atque in hoc tum influente tum effluente corpore animæ diuinæ id est, immortalis circuitus illigabant. Hæc Plato in Thimæo, ex quibus constat Platonem indubie sensisse animæ indeficientiam, imò in hoc semper in totaque eius doctrina laborauit contra negantes hoc propositum, quos & acerbissime arguit illisque vt cœcis comminatur. Vnde scribens in epistolis ad Siracusanos inquit. Credendum semper esse priscis sacrisque oraculis asserentibus animam hominis esse immortalem, iudicemque habere, ac poenas pati maximas, cum à corpore fuerit separata. Quapropter minus malum existimandù perpeti grauissimas iniurias quam inferre. Quamquam avarus homo, mentisque inops aut nõ audiat, aut deridere soleat, voluptatibusque deditus quasi cœcus non cernat, quam maximum semper malum viuentem impie sequatur, & post mortem quam misera demigratio eum maneat, hæc Plato, & similia in prothagora in 10. lib. de repu. vbi aperte inquit. Animam hominis esse immortalem & hæc ratio, & alia quam plures cogere possunt. Non igitur de hoc in Platonis dogmate am-

bigendum est, & animaduerte Platonis auctoritatem de animæ indeficientia apud priscos tantum inualuisse vt mortem præ vita eligerent. Sicut legimus de Cleombroto, qui Platonis sententia de animæ indeficientia persuasus adeo fuit, vt hac vita alterius amore se priuauerit. Demosthenes quoque postquam Platonem & Xenocratem de animæ immortalitate audiuit differentes inquit. Malem honeste mori, quam turpiter viuere, & quoniam Plato in suadendo animæ immortalitatem, pie sancteque viuendum vsque ad vitæ suæ terminum id est, vsque ad annum. 81. non destitit, ideo apud Athenienses tale epigramma promeruit. Phebus Esculapium & Platonem genuit, vt ille corporibus, hic animis mederetur. Hæc primo capite dicta sint.

CAPVT II.

IN 2. c. inquirendum est, qua via processerit Plato in credenda sibi aliisque persuadenda animæ nostræ indeficientia, quam & quam plures Platonis antecessores, & contemporanei improbare conati fuere, quos ipse leues impios mentis inopes, & philosophatos appellare consuevit. Solos autem philosophos & fide, & opere, & vita, & moribus, & doctrina animorum immortalitatem sustentare. Tu igitur aduerte qd Plato innititur sacris oraculis. Secundo rationi. Tercio posito quod nulla ratio hætenus inuenta propositum efficacissime concluderet, tenendum est quod fuerit sacris oraculis comprobatum, sufficereque quo ad rationes, si quæ indeficientiam probant rationabiliores appauerint quam probantes oppositum.

Quod sacris oraculis Plato existimauerit credendam animæ indeficientiam, constat ex eo quod dicit in Thimæo s. Priscis viris hac in re credendum est, qui diis geniti fuere. Impossibile sane deorum filiis fidem non habere, licet nec necessariis nec verisimilibus rationibus eorum oratio confirmetur. Nos igitur legem secuti fidem præstabis. Priscos autem viros diis genitos, prophetas siue vates intelligit, de quibus in Thimæo inquit, lex iubet diuinis vaticiniis iudices præesse prophetas, quos vates quidam nominant. Quod autem sacri vates animæ nostræ indeficientiam enuncient & asserant patet ex eo quod in c. præced. adduximus, ad Siracusanos & ex mylesio oraculo sic habetur. Anima quidem quo ad vinculis corporeis tenetur, corruptibiles passiones sentiens, mortalibus cedit doloribus, quando vero humanam solutionem velocissimam post corpus corruptum inuenerit, in æthera fertur, nunquam senescens, & manet in æternum. Hermes quoque Termegistus apud Aegyptios diuinus & maximus vates, quem nonnulli Moysen esse credunt, ab Aegyptiis mercurium nominatum, in eo libro qui pymander inscribitur naturam hominis à Deo progenitam describens inquit, & idem ex vtraque natura immortalis & mortali vnam fabricabat hominis naturam, & hunc ferens in medio diuinæ & immortalis naturæ, & mortalis mutabilisque constituit.

Et si quæras mi Alexâder, nunquid Plato citans diuinos vates & prophetas sacraque oracula, intendit de solis hominibus quos fatidicos & quodam diuino furore correptos gentilitas appellat, intendit rursus per sacra oracula, spirituum seu demonum ex statuis responsum, an hebreorum prophetas, diuinasque reuelationes Moysæ legis.

Respondetur quod de omnibus intendit, & quidem de fatidicis illis, & spirituum responsis clarum habetur, ex eo qd greci his vaticiniis maximè inhærebant, vt patet de oraculo delphico, de Deo Socratis, de Iunonis fonte extra Athenas. Quod autem Plato de Moysæ lege & prophetarum libris in quibus aperte animorum indeficientia monstratur, peritiam habuerit trahitur ex eo quod cum quasi fugientes per totum orbem scientias insequeretur, audissetq; in Italia institutis Pythagoræ Architam tarentinum tandem in Aegyptum profectus est, vbi à sacerdotibus in mathematicis, & diuinis eruditus est. De quo Valerius in lib. 8. sic inquit. Plato patriam athenas, præceptorem Socratem sortitus, & locum & hominem doctrina fertilissimum, ingenij quoque diuina instructus abundantia, cum omnium mortalium iam sapientissimus haberetur, eoque vt si ipse Iupiter de cælo descendisset, nec elegantiore & beatiore facundia vsurus videretur, Aegyptum peragrauit, dum à sacerdotibus eius gentis, geometriæ multiplices numeros cælestium obseruatione rationum perceperit. Diuus quoque Augustinus in libro octauo de ciuitate Dei de Platone inquit

inquit. In Aegypto didicit quæcūque illic magna habebantur & docebantur. Habebant autem Aegypti sacerdotes de diuino cultu, de peritia siderum, de metaphisicis sufficientissimas speculationes, edoctique fuerunt ab Israelitico populo, apud quem vnus verique Dei & cultus & scientia vigeant. In his omnibus eruditus fuit Plato, & dicit B. T. de mente Augustini Platonem vidisse & legisse sacram genefim, cuius signum est quod in Thimeo mundi generatione, à deo factam describens commentari videtur primum caput sacrae genefis, maximè informando homine, quem appellat principem & dominum orbis terreni. Ad sacerdotibus igitur illis vt diuinitus reuelatam, diuinā philosophiā, & purgatissimam metaphisicam accepit, in qua continetur quicquid de Deo in Parmenide docuit, & de eius prouidentia, & de animi immortalitate, & de præmio supplicioque alterius vitæ. Vnde apud græcos famosum fuit, Platonem ex superis, Aristotelem ex sensu philosophari, hinc est quod Plato erga diuina componēdosque animos versatur. Arist. autem quam maximè ergo sensata & naturalia. Propterea Plato diuinus, Arist. demon id est sciens appellatus est. Certam igitur sententiam de animi indeficientia apud Plato. non tam ex sensu, quam diuina reuelatione acceptandā censemus. Hac de causa diximus Plato. pro firmanda animi indeficientia diuinis oraculis inniti modo quo exposuimus.

Quod vltra diuina oracula Plato pro animæ intellectiua indeficientia comprobanda, rationes adduxerit & patet infra quot & quales fuerint.

Prima ratio quæ sumpta est ex phædone huiusmodi est. Anima intellectiua in operatione sua non pendet à corpore, ergo immortalis est. Consequentia nota, & antecedens probatur. Si in operatione sua penderet à corpore, ergo quanto magis inhareret corpori corporeisque naturis tanto magis in operatione sua perficeretur, quoniam vnumquodque perfectionem sumit à principio à quo dependet. tantoque magis quantum illi copulatur. Sed in anima quo ad intellectum & voluntatem contrarium experimur. Nam quando intellectus circa corporalia occupatur, aut nihil cernit omnino, aut sincere discernit sensibus & phantasia distractus aut deceptus, voluntas quoque assiligitur, dum variis & multis inde vexatur curis. Quando vero corporea deserit, & sopitis sensibus aut restrictis ne multiplici sensibilibus perceptione distractionem patiat, & expulsi phantasmatum nubibus anima per se aliquid speculatur, tunc intellectus in suo vigore constitutus sincere discernit & clare penetrat omne in quod intenderit, Cuius rei signum ex eo sumitur inquit Plato in phædone, quod per somni quietem, aut per aliam à corpore extasim siue alienationem vt in pluribus vaticinia sumuntur. Ideo nonnulli vt in Critone & in apologia Socratis inquit Plato, cū sunt prope mortem futura prædicunt, quasi tunc illa videant in supernis numinibus descripta, quibus ex sui natura iungitur animus, modo non impediatur à corpore. Quod & Socratis comprobatur exemplo, quia falsis iudicibus tractus in iudicium, prædixit iudicibus poenitentiam, accusatoribus ruinam, ciuitati seditionem. Deinde in carcere mortis suæ diem præsignauit, monstratum sibi à numine per quietem: adduci & exempla multa huius generis possent. Si ergo anima aut intellectiua ex separatione à corporeis proficit in operatione sua & quanto magis figitur in corpore tanto magis decit, ita vt poenè in nihilo differat homo à bruto, proconstāti habemus animam non pendere à corpore. Ex his correlariè sequitur apud Platonem quod si quanto magis mens in hoc corpore demergitur, tanto deficit magis à sua intellectuali perfectione, & quo discedit longius eo magis proficit, tunc fore perfectissimam mentem, quando penitus ab hoc corpore euolauerit. Stultum est enim arbitrari inde esse animæ interitum, vnde eius summa perfectio, integra vita & perpetua, Hæc est prima propositi nostri ratio apud Platonem.

Secunda talis est, nulla res principio & causæ à quibus pendet repugnare nec aduersari potest. Anima vt intellectiua quantum potest & corpori proprio & omnibus corporibus nititur repugnare & aduersari, & cōprimere, ergo nec à proprio nec ab vllō alio corpore pendet, ex consequenti immortalis est. Maior quidem de facili dicitur, qm̄ si res principio à quo pendet repugnaret non intenderet suæ conseruationi sed destructioni, quod naturali desiderio obfistit. Innatum est. n. cuilibet enti desiderium conseruandi se in esse quantum potest. Præterea, nihil sibi ipsi naturaliter noce-

re potest. Sed si res causæ à qua pendet aduersaretur sibi ipsi naturaliter noceret, quicquid enim agit, agit auxilio & virtute causæ à qua pendet, ergo in operando sibi ipsi impedimentum præstaret. Nihil ergo in rerum natura causæ à qua pendet repugnat, sed se ad illam conuertit, illi se coniungit quantum potest vt ex ea & sit & operetur & perficiatur. Minor autem sic declaratur. animæ intellectiua duo præcipue conueniunt, speculari & consultare. In speculatione nisi corpori aduersaretur non veritatem attingeret sed monstruosis inuolueretur erroribus. Quod vtique experimur in speculatione summæ ac primæ causæ, cæterarumque substantiarum immaterialium. Nam si quæ nobis offeruntur à sensibus exterioribus huius nostri corporis, & ab imaginatiua intrinseca, illis attribuere voluerimus Deum & reliquas intelligentias concludemus non aliud esse quàm quid corporeum distentum figuratum coloratum loco & situ circumscriptum, quæ omnia procul abicienda sunt ab illis indiuisibilibus simplicibusque naturis, sic namque speculari nos docuit diuinus Plato, primum summumque bonum & pulchrum, quem Deum nominamus & colimus: vnde in simposio introducit Diotimam mulierem fatidicam loquentem ad Socratem de diuinis ipsam eruditè. Quæ foelix illud spectaculum id est, contemplationem fore putamus, si cui contigerit vt ipsum pulchrum intueatur. Sincerum, integrum, purum, simplex, non humanis carnibus, non coloribus, non aliis mortalibus nugis contaminatum. Sed ipsum secundum se pulchrum diuinum inspiciat. Hæc ibi. Huiusmodi autem excellentias & proprietates non à corpore nec à corporis sensu, nec ab imaginatiua accipit anima, sed ex eo quod quæcūque sibi ab eis oblata diffugit, & eis offerentibus aduersatur. Repugnat ergo quantum potest anima in speculatione corpori proprio, & omni corpore naturæ, eo quod corpus ipsum animæ speculanti innumera affert impedimenta. Audi obsecro mi Alexâder quam egregie id nobis aperiat Socrates in phædone. Sic. n. inquit. Donec corpus habemus, animusque noster tanto malo admixtus erit, nunquam nos quod desideramus verum consequemur. Impedimenta. n. poenæ innumerabilia corpus animo præbet, propter necessariam eius alimoniam. Præterea. Morbi nobis hinc incidentes inuestigationem veritatis impediunt. Amoris, cupiditatis, timoribus, multiplicibusque imaginibus, multis denique nugis nos implet, vt verissime dicatur, nihil pensi vnquam ac veri nobis afferre. Nam ad bella, ad seditiones, ad pugnas, nihil aliud quam corpus multiplexque eius cupiditas nos impellit. Omnia enim pecuniarum gratia fiunt. Pecunias autem quærere cogimur corporis gratia, eius vsui inseruientes, atq; ita fit, vt propter hæc omnia à philosophiæ studiis abstrahamur. Extremum verò omnium est, quod si quid ocij nobis ab eo contingat, nosque ad aliquid cōsiderandum offeramus, inuestigantibus nobis rursus vbique se opponens tumultu quodam perturbat animum, & quasi percutiens reddit attonitum, adeo vt hoc obstaculo impediti verum perspicere nequeamus. Cæterum nobis demonstratum est, si quando pure aliquid intelligere optamus, recedere à corpore oportere, atque solo animo res ipsas considerare, atque dum viuimus ad scientiam proxime accedemus, si quam minimam cum corpore commercium habuerimus, nisi quantum extrema cogat necessitas. Sed & ab eius contagione caueamus quo ad Deum ipse nos soluat, atque ita puri & à corporis insaniam liberati cognoscemus per nos ipsos sincerum quodlibet id est forsitan ipsum verum. Nam impuro quidè purum attingere nefas est. Talia equidem o Simia iudico necessarium esse oēs discēdi cupidos adinuicē sic loqui, sicque opinari. Hæc ibi.

Quod autem in consultando anima vt intellectiua repugnet corpori, apud Platonem & vt experimur sic demonstratur, corporea vis appetitiua quam concupiscibilem dicimus ad amores lasciuos, ad gulam, ad oblectamenta inhonestata ad oēs, denique intemperatias nos impellit sed ratio id est, aīa vt intellectiua, contemplationis & virtutis gratia abstinendū iudicat, & vt imperat sæpe numero abstinemus. Subire pericula cor trepidat. Sed ratio turandæ patriæ, aut conseruandæ famæ gratia, subire pericula iubet. Illata contumelia aut iniuria sanguis ad vindictam circa cor accenditur. Sed ratio & pacis & ocij causa sistere iubet & cohibet continue ergo anima intellectiua corpori aduersatur, vt homo bene ac virtuosè viuat. Quod vtique anima non ageret, si penderet ex corpore. Nam si nulla in nobis esset natura alia quam corporea & pendens ex corpore, statim

statim cum corporis affectio attraheret vel retraheret pro-
rueremus vt bruta, nullo consilio nullaq; deliberatione ha-
bita. Est igitur in nobis aliquid supra corpus, inquit Plato,
& ab ipsius stirpe semotum. Hæc est secunda ratio.

Tertia ratio, anima vt intellectiua operatur sine corpore,
ergo potest existere sine corpore: consequentia probatur,
quia modus operandi consequitur modum essendi, si ergo
operatur sine corpore, quo ad existere non pendet à corpo-
re. Antecedens autem in doctrina Platonis sic manifestatur.
Quando anima vegetat corpus nutritione & augmento, &
generatione producitur simile in specie, per corpus opera-
tur. Sunt enim determinata organa quibus sic operatur, vt
stomachus, epar, genitalia, quando anima exteriori sensu
sensibile attingit, operatur per corpus, sunt enim manifesta
organa, quibus vires sensuales alligatæ sunt. Quando ima-
ginatur aut cogitat aut rememoratur operatur per corp^o,
quoniam interiores sensus in capite distinctis locis situantur,
& phantasia per imagines ac idola reuoluitur, quæ sin-
gula referunt corpora. Quando vero per intelligentiã spe-
culatur, & sine corpore & auxilio corporis operatur. In-
telligit enim intellectus seipsum, & se intelligere. & obie-
ctum vniuersale ab omni conditione materiali & singulari
depuratum vt per se hominem, per se lapidem, quod quidẽ
vniuersale appellat Plato speciem siue ydeam. Hanc autem
operationem exercet anima sine organo, quoniam vt expe-
rimur nulla vis animæ alligata organo attingit nisi singula
re. Constat ergo quod licet anima vt vegetatiua & sensiti-
ua & imaginatiua operetur per corpus, tamen vt intellecti-
ua operatur sine corpore, ergo vt intellectiua potest exi-
re sine corpore, ex consequenti quo ad esse non pendet à
corpore. Hæc sit tertia ratio.

Quarta ratio. Non debet virtus alicui obesse, nec vicium
alicui prodesse, obesset autem laboriosa vita bonis, & pro-
desset voluptuosa vita malis, nisi foret anima immortalis,
ergo, &c.

Quinta ratio. Omnes naturæ quæ eiusdem principij par-
ticipes sunt, inter se sunt similes. Sicut oculi, quia omnes lu-
cis participes sunt, omnes sunt similes, sed tamen pro diuer-
sa lucis participatione vnus est alio acutior, omnes rationa-
les substantiæ sunt participes Dei, quoniam Dei intelligen-
tiam habere possunt & ad ipsum vt summum bonum desi-
derio naturali conuertuntur, ergo & sibi inuicem sunt simi-
les, & Deo, ergo sicut supremæ, id est mentes cælestes sunt
immortales, sic & rationales animæ. Immortales quidem
sunt omnes, quia Deo immortalis per similes sunt. Hæc est
quinta ratio, quæ fundata videtur super illud sacre Genes-
is ca. i. faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem
nostram. Nam vt diximus supra, Plato & vidit & legit sa-
cræ Genesim.

Sexta ratio, cui soli Plato innitur in phædron, quam &
in i. capite promissimus hic formare, non satis proposito no-
stro deseruit, quoniam ita concludit & principalius de ani-
mæ mundi, & de animabus cælestium corporum quæ ani-
mata existimat vt patet in Thimeo, sicut de anima huma-
na, & stat in hoc. Quod semper mouetur immortale est, qđ
vero aliud mouet, ab alioque mouetur, cum terminum ha-
beat motus, terminum habet & vitæ. Solum ergo quod se-
ipsum mouet, quia nunquam se deserit, nunquam cessat
moueri, immo vero & aliis quæcunque mouentur fons &
principium est mouendi. si quod seipsum mouet nunquam
cessat moueri, ergo immortale est. Sed anima seipsam mou-
et. Quod si ita est vt non sit illud quicquam quod seipsum
moueat præter animam, necessario ingenita & immortalis
est anima. Patet autem, cum hæc conditio scilicet, esse prin-
cipium mouendi aliis, & hæc scilicet esse ingenitum, id est
carere principio & ortu, non conueniant animæ humanæ,
aliter contradiceret sibi ipsi Plato in Thimeo vt patet ex
his quæ adduximus in i. c. huius secundæ partis, qđ intendit
concludere æternitatem animæ mundi, quæ apud Platonem
dicitur vniuersalis anima, & volunt nonnulli esse Deum
ad mentem Platonis. Hac de causa super dictam rationem
vim non facimus.

De rationibus, quibus ad mentem Platonis animæ inde-
ficientia comprobatur nunc dictum sit. Relinquimus autem
quas adduxit in phædron de ydeis & in Memnone de re-
miniscentia, nec lectores huius nostri tractatus grauet pro-
lixitas. Satis enim nobis fuit ostendisse Platonem pro cer-
to credidisse animæ indeficientiam, & quantum potuit ra-
tionibus firmasse.

Quod autem Plato huius mentis fuerit scilicet, posito
quod nulla ratio hæctenus inuenta propositum de animæ
indeficientia inuincibiliter cõcluderet, credendum esse id
quod fuit sacris oraculis reuelatum, & quantum ad ratio-
nes sufficit si rationabiliores iudicatæ fuerint, quam ratio-
nes probantes oppositum constabit ex his quæ statim addu-
cemus.

Plato in phædron animaduertens difficillimum esse in
hac vita animæ humanæ essentiam qualitatemque intellige-
re, qm̄ videlicet eam sub corpora ea specie intuemur, & ex
his quæ sensui subiacent in eius ferimur intelligentiam, iō
existimat tutissimam rationem ad aiam comprehendendam
fore moralem purgationem, i. non secundum passionem qui-
bus feruntur bruta, sed secundum rationis dictamen viuere,
adiecta metaphysica abstractione, i. assuescere specula-
tioni diuinorum, qua se supra omnem corpoream speciem
eleuat anima. Vbi vero id non sufficiat, opus esse diuino ver-
bo, i. reuelationib. diuinitus factis enunciatis nobis ip-
sius animæ excellentiam & immortalitatem. Nā inquit Pla-
to in Socratis apologia Deum mentiri non est credendum,
neque id est fas Deo. In Thimeo autē describitur Plato mū-
di & deorum id est immaterialium substantiarum, quas &
mentes dicimus, & hominibus vt Dei terreni, & aīæ ratio-
nalis productionem à Deo & immortalitatem, aduertensq;
non esse humani ingenij efficacissimis & omnino firmis ra-
tionibus firmare quæ dicturus erat sic inquit. Cum de re fir-
ma & stabili, & mente comprehendenda differit, stabiles si-
militer immutabilesque & quam maximè fieri potest inex-
pugnabiles rationes esse oporteret. Cum vero de ipsius rei
firmæ stabilitque simulacro disputatur, verisimiles rationes
sufficiunt. Cum ergo ò Socrates multa de diis, & mundi ge-
neratione à multis dicta sint ne mireris obsecro, si rationes
de istis probatissimas afferre non possum. Satis. n. factum pu-
tare debebis, si non minus probabiles quam quibus alius ra-
tiones attulerim. Aequum est. n. meminisse, & me qui dico,
& vos qui iudicabitis homines esse, vt si probabilia dicen-
tur nihil ultra requiratis.

Et qm̄ quis Platoni obiicere posset. Si de mundi & hoīs
& aīæ gnatione firmas habere rationes non possum^o, ergo
semper dubij erimus & pro neutra parte sententia ferenda
est. Ideo Plato infra quasi hæc obiectione expugnans dicit
deorū filiis, i. prophetis releuantib^o oīno credendū esse, e-
tiam qđ rationib^o nec necessariis nec verisimilibus eorum
oratio firmes, & sic describit mundū productū à Deo, & ho-
minē formatū, & aiam factā immortalem admodū confor-
miter vt sacra genesis, quam profecto necesse est concedere
Platonem & vidisse & legisse, & illic credidisse. Per rem
stabilem & firmam intendit Deum, per simulacrum rei sta-
bilis intendit mundum, & mentes immateriales, & huma-
nam animam, in qua stat imago dei. Hæc de i. c. dicta sint.

CAPVT III.

IN 3. c. aperiendum est, quid de statu animæ post hanc vi-
tam Plato senserit ex propria sententia & docuerit. Di-
co ex propria sententia, qm̄ Plato institutis pythagori-
cis edoctus ab Archita, quam plura sparsim in libris suis de
statu animarum post hanc vitam descripsit recitatiue potius
quā diffinitiuè, quæ à Platonicis nõ approbatur, nec Plato
ni attribueda sunt, vt transmigratio humanarū animarū in
corporib^o brutorū. Peregrinatio & circuitus aīarum per lo-
ca subterranea. Animas malorū emergere de terra, aīas ve-
ro bonorū descendere de cælo. Descriptio fluminū apud in-
feros. S. Acherontis, Stigis, cocyti, Phlegetontis. Hæc nāque
oīa magis vt fabulosa, & poetica describit qđ ex propria sen-
tentia, vnde circa finē phædronis cum hæc omnia Socrates
in carcere recitasset sic inquit. Oportet hæc quasi carmina
quædam ritu magnorum mentibus nostris infundere. Quā-
obrem ipse iādiu præraho fabulā. Hæc igit omittēda sunt in
grauissima Platonis doctrina. Hoc. n. non esset aīos nostros
curare sed poti^o illudere, nec meruisset Plato aīorum medi-
cus sed ludificator appellari. Nisi forte mysticè interpretēf.

Vt igitur scias mi Alexāder, quæ & quanta Plato noster
quasi christiana lege ac religione viuēs de aīæ nostræ statu
post hanc vitam ex sua snā scripserit, sem p̄q; studuerit morta-
lib^o laudare, duas præmitto dist. in doctrina sua famosas. i.
est de aīalib^o humanis, secūda de locis ad quæ migrant aīę.

Distinctio prima sit hæc, ex animabus humanis, quædam
breui temporis spacio, e corpore recedunt, vt in ipsa infan-
tia atque pueritia. Quædam notabili temporis spacio cor-
pus inhabitant, aliæ quidem vsque ad iuuentutem, aliæ
ad viri

ad virilitatem, alia ad senectutem, ex his quæ notabili temporis spacio corpus inhabitant, quædam criminibus maculantur nõ in habitum prauum deductæ, sed interposita poenitentia, & rationis repugnantia. Has in lege nostra dicimus ex passione & infirmitate peccantes, sæpe quidem poenitentes reprehendente rationis dictamine. Sed iterum atque iterum peccantes, & in peccatis sic maculatæ migrantes. Quædam peccatis in habitum prauum deductis, sine vlla rationis repugnantia, sine poenitentia, quodcumque scelus etiam immanissimum in proximum & in Deum committentes fordidantur, sicque migrant à corpore. Has in lege nostra, ex malicia peccantes, in malo obduratas dicimus. Quædam iuste sanctæque viuere contendunt, & huiusmodi in triplici differentia apud Platonem reponuntur. Quædam enim sua simplicitate contentæ, in nullo sciendi siue philosophandi genere se exercent, viuere tamen student vt recta ratio dicta erga Deum & parentes & patriam, aliosque sibi proximos, has in lege nostra vulgares siue plebeas sed iustas & probatæ vitæ animas appellare possumus. Quædam pie sanctæque viuunt in ciuili siue regitiua philosophia exercitatæ, quas in lege nostra regimini siue populi siue familiaris præpositas esse dicimus, veluti duces & iudices & custodes. Quædam exactissime philosophiæ, diuinorumque speculationi deditæ, à communi & vulgari hominum conuersatione semotæ, nulli iniuriam agentes, Deum præ omnibus colentes, omni virtutum genere exornatæ, mortem præ vita, ne in decore viuant eligentes. Has in lege nostra animas in carne præter carnem viuentes, quarum conuersatio in cælis est, dicere merito possumus.

Distinctio secunda sit hæc. Animarum loca post huius vitæ statum in doctrina Platonis quinque sunt. Primus est sub terra infimus, quem tartarum appellat. Secundus est sub terra tartaro superior, quem animarum purgatorium existimat. Tertius est supra terram in æthere superiori purissimo neque nube neque caligine, neque alio quouis vapore terreo aut aqueo perturbato. Quartus est in splendidis cælestibusque corporibus. Quintus est supercælestis.

Plato vt pius & sollicitus animorum medicus, antequam prædicta loca animabus post mortalem vitam pro demeritis aut benemeritis enunciet, hortatur prius in phædone incautos cõsideratosque mortales, ne dum viuunt animam negligant, sed quantum valeant illius curam gerant, ne mortem inexpiati & im præparati subeant. Sic igitur inquit. Iustum est ò viri cogitare si anima sit immortalis, eam non solum huius temporis in quo viuere dicimur, verum etiam vniuersi gratia curatione plurimum indigere. Nam graue periculum fore putandum est. Si quis animam neglexerit. Si enim mors totius dissolutio esset certæ improbi lucraretur, quæ à corpore & à prauitate cum anima liberarentur. Nunc autem cum anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi vt anima optima & prudentissima fiat. Nihil enim anima cum migrat secum migrat secum deserit præter eruditionem atque educationem, id est, præter scientiam, & moralem, siue bonam, siue malam operationem. Quæ quidem statim in principio transmigrationis illi plurimum prodesse vel obesse dicuntur, hæc ille (& infra) sed bonam spem de animo suo habere debet quicumque voluptatibus ornamentisque corporis neglectis tanquam alienis, voluptates quæ in discendo percipiuntur studiosè sectatus fuerit, animum que non alieno sed suo decorauerit ornamento, temperantia iustitia fortitudine liberalitate veritate, sic ex hac vita migrationem expectans, tanquam cum fatum vocauerit migraturus, hæc omnia in phædone. In primo autem libro de repub. Cæphalum nobilem & senem atheniensem introducit ad Socratem loquentem, admonetque hominem iam morti ex senectute propinquum qui terror eum inuadat, aut quæ bona spes cor eius foueat, ideo animæ curam nulli esse postponendam. Sic igitur inquit. Certe scias ò Socrates, quod postquam eo deuenit aliquis, vt breui iam moriturum se opinetur, incidit in eum timor & cura quædam eorum quæ in superiori vita neglexit, & enim quæ de inferis dicuntur, quemadmodum eos qui iniuste egerunt illic dare poenas oporteat irrita hæc tunc mouent tunc animû, ne forte vera sint suspicantem. Atque ipse siue propter senectutis debilitatem seu quod alteri vitæ propinquior illa acutis inspicit, & sollicitudinis & timoris plenus redditur, atque reputat examinatque si quem iniuria affecerit. Qui ergo inuenit multas eius in vita iniquitates, ex ipso som-

no tanquam puer frequenter excitatus extimescit, & pessima spe viuut. Qui aut nullius iniuriæ sibi conscius est, huic iocunda spes semper adest, optima senectutis nutritrix, quem admodum Pindarus ait. Scite namque ille ò Socrates istud cœcinit. Quicumque videlicet iuste sanctæque vitam exigit, dulcis eum spes comitatur cor nutriens senectutemque fouens, quæ maximè hominum volubilem gubernat animum, vt illuc intrepidus proficiscatur, cum neque inuitum quempiam circumuenerit, neque mentitus fuerit, neque debeat vel votas Deo victimas, vel homini pecunias, hæc ille, in 1. li. de repub. In li. autem 2. Alcibiadis qui de voto siue de sanctitate inscribitur demonstrat Plato curam de animo habendam non ex ceremoniis, non ex variis sacrificiis, non templorum ornatu, sed animi sanctitate, quo nil Deo carius & ad quem solum respicit. Sic igitur inquit. Nõ huiusmodi est Dei natura vt ducatur muneribus quemadmodum improbus fenerator. Sed & nos nimium deliramus, si propter munera nos Deo acceptiores esse ducimus. Et. n. graue esset, si Deus ad donaria & sacrificia nostra respiceret potius quam ad animum vt iustus sanctusque sit. Ad quem equidè Deum arbitror multo magis artèdere quam ad multi sumptus pompas & sacra, quæ nihil prohibet eum qui multa in Deum hominesque peccauerit siue priuatus sit siue Reipub. singulis annis præficere. Deus autem vt pote à muneribus incorruptus spernit hæc omnia vt ipse euilque propheta prædixit. Vnde perspicuum est, & apud Deum & apud homines sanæ mentis iustitiam & prudentiam præcipue honorari. Prudètes autem iustique sunt, qui sciunt quæ erga Deum & homines agere & dicere oporteat, hæc ille in Alcibiade secundo. In fine vero decimi de Repub. sic hortatur. Quamodrem si meis sermonibus obtemperabimus, nulla macula animam inficiemus, & arbitantes immortalem fore animam, talemque vt & mala possit & bona omnia sustinere, viam semper ad superiora ducentè sequemur. Iustitiam que cum prudentia omni ratione colimus, & vt nobis ipsis simus & diis amici dum hanc ducimus vitam, & postquam virtutis præmia reportauerimus tanquam potiti victoria & triumphis hinc nos foeliciter abeamus.

Enunciaturus Plato locorum qualitates in quibus differenter post hanc vitam recipiuntur animæ, & præmij & poenarum in genere mensuram præponit deinde singulis pro meritis & demeritis congrua loca designat.

Pro mensura poenarum ex præmij, in genere sic inquit in 10. de Repub. Si qui cedis multorum causa fuerint, ciuitatesque & exercitus prodiderint, vel homines in seruitutem impeerint. Alteri flagitij aut sceleris conscij fuerint, in his omnibus pro quolibet facinore poenas decuplas pendet. Atque iterum, si qui beneficia fuerint aliqua elargiti, iustitiamque & pietatem coluerint, eadem pensione præmia reportant. Erga deos autem & parentes pij vel impij, & homicide, qui cede manus proprias polluerunt maioribus, & præmiis & poenis afficiuntur.

Quo ad loca sic accipe. Animabus eorum, qui vt mox nati decesserunt aut breue tempus vixerunt, certus non datur locus in doctrina Platonis, neque quid memoria dignum recensetur, vt pote non præmiandi neque puniendi, cum neque bene neque male vixerint.

Animabus eorum qui notabili tempore vixerunt, peccaruntque non obdurati, sed interposita poenitentia, & quædam rationis repugnantia, locum sub terra tartaro superior assignat, in quo vt inquit in phædone expiatur poenas dantes iniuriarû, & cum purificatæ sunt absoluitur. Rursusque pro merito bonorum operû singulæ præmia reportat.

Animabus eorum qui obdurati fuerunt in malo, & præ magnitudine scelerû facti sunt insanabiles, locum sub terra infimû qui tartarus dicit assignat, à quo in æternum nõ abfoluuntur, licet totis conatibus exitum quærant. sed frustra nituntur vt Plato ipse in 10. de republ. describit p. exemplo adducens Ardies tyranni animam in tartareo demersam, q. senem patrem, & maiore natu fratrem occiderat, de quo sic inquit. Vidim⁹ cû Ardies alios, & oēs ferme tyrânos, & priuatos nonnullos qui magna scelera perpetrauerant, quos ascensuros se prope modum confidentes hiat⁹ ille minime permittebat. Quod autem inde nunquã sint egressuri aperte testatur Plato in phædone cum dicit. Qui vero ob scelere magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa & magna, vel cedes iniquas vel alia horum similia perpetrauerint, hos omnes conueniens fors mergit in tartarum, vnde nunquam egrediuntur.

Animabus eorum, qui pie sanctè que vixerunt, in nullo tamen philosophandi genere exercitati, sublimem in æthere purissimo regionem assignat. De his sic ait in phædone. Qui præ cæteris pie vixisse inveniuntur, hi sunt qui ex his terrenis locis tanquam ex carcere soluti, ad altiora transcendunt puramque super terram habitant regionem.

Animabus eorum, qui sanctè vixerunt in ciuili philosophia exercitati, fidereas sedes assignat. De his his videtur intelligendum dictum Platonis in Thimeo cum dicit. Qui recte viuendi spacium à natura datum confecerit, ad illud astrum cui accommodatus fuerit reuerfus beatam vitam acturus est.

Animabus eorum, qui sanctè vixerunt exactissimam philosophiam sectantes, nobiliorem præ cæteris & pulchriorem locum designat, qui non est dictu facilis ex sui celsitudine. De his in phædone sic inquit. Inter hos autem quicumque satis per philosophiam purgati sunt, absque corporibus omnino, totum per tempus viuunt, habitationesque hietiam pulchriores acquirunt, quarum pulchritudo neque facilis dictu est, neque præsens tempus ad dicendum sufficeret.

De locis ad quæ migrant animæ ex sententia Platonis, satis dictum sit.

Quas vero pœnas patiantur malorum & scelestium animæ apud Platonem paucis accipe, patiuntur primo ex loco subterraneo siue sit tartarus, siue tartaro superior quem diximus malarum animarum sed sanabilium esse purgatorium, his in locis vt in horrendo & coeco carcere detinentur. In tartaro quidem in æternum vt supra diximus quoniam illic insanabiles sunt, in loco autem superiori ad tempus id est donec expiata fuerint. Secundo ex malis demonibus inter quos versantur à quibus multiplices suscipiunt cruciatus, quos Plato in decimo de repub. sub specie & figura corporeæ afflictionis & supplicij describit, neque enim possunt spirituales pœnæ nisi modo corporeo nobis innotescere. Sic igitur inquit. Aderant illic feroces quidam viri aspectu ignei, qui Ardium quod eius similes manibus & pedibus & ceruice victis prosternebant, prosternebant, ex carnificabantque, & secus viam quandam ad exteriorem partem raptatos tribulis lacerabant, indicantes quam ob causam talia paterentur. Tertio ex mala & facinorosa vita, qua dum in corpore viuere se miseram & infelicem reddidit. Cruciatum namque intrinsecus ex male gestis & continua mentis inquietudine & angustia præmittitur, eo quod ex doctrina Platonis, & veritas est, sicut animus ex bene actis naturaliter delectatur sibi que complacet & gaudet quod studio egerit, sic ex male actis tristitiam & inquietudinem incurrit. Hinc dicitur & est malorum vita tristis & misera, bonorum autem delectabilis & optimæ spei. Quarto ex mala consuetudine & ignorantia & fallaciis, quæ secum trahunt ex inordinata corporum affectione. Audi obsecro mi Alexander, Platonem in phædone. Si anima inquit polluta impuraque decedit, vt pote quæ corpus semper amplexa ipsum dumtaxat coluerit & amauerit, eiusque voluptatibus, & libidinibus, quasi quibusdam veneficiis delimita fuerit, & vsque adeo capta vt nihil aliud putet esse verum nisi quod corporeum sit, quod tangi quod videri possit, quod ve bibat, quod edat, & quo in venereis vtatur. Quod vero oculis quidem occultum & inuisibile sit, & tamen intelligibile & philosophia comprehendendum, odio habuerit, hos affectus secum trahit, & grauatur & ad visibilem retrahitur locum, metu inuisibilis atque occultus, &c. De animæ malæ miseria & pœnis post hanc vitam ad mentem Platonis dictum sit. Quæ pro maiori parte adeo christiana videntur vt credi possint quasi ex euangelio Christi hausta fuisse.

Nunc de foelicitate præmioque eorum qui pie ac sanctè vixerunt dicendum est ad mentem Platonis.

Primo igitur foelicitantur nobilitate loci, nam vt supra diximus bonorum animas cum recedunt à corpore arbitratu Plato, euolare ad superiorem purissimi ætheris regionem, aut ad fidereas sphaeras, aut locum supercaelestem, vbi perpetuo evo sufficientissima vita viuunt, cuius loci pulchritudo vt Plato inquit in phædone, est dictu difficilis, imo viuentibus vita mortali inenarrabilis.

Secundo foelicitantur conuersatione & benevolentia deorum ad quorum consortium transeunt, sic enim habens in Phædone. Quicumque purgatus atque initiatus illuc accesserit cum diis habitat, (& infra in eodem) si anima pura discesserit, ad aliquid sibi simile diuinum abiit, diuinique

& immortale & sapiens, quo cum peruenerit euadit foelix, ab errore, dementia, timoribus, durisque amoribus, cæteris que humanis liberata malis, & quemadmodum de initiatis dici solet, per reliquum tempus vitam cum diis agit. De amicitia autem Dei erga iustum in 10. de repub. sic inquit. Vnus quidem id est iustus à Deo amabitur, alter, id est iniustus odio habebitur. Deorum autem amico omnia quo ad fieri potest optima diis tribuuntur. Sic itaque de viro iusto existimandum siue in pauperie seu morbis siue quibus vis aliis ex his quæ mala videntur, fuerit constitutus. Huic demum vel viuenti vel mortuo ad bonum aliquid ista conducere. Neque enim à diis vnquam negligitur, quicumque conari voluerit iustus euadere, virtutisque officij quantum homini licet, Deo similis fieri.

Tertio foelicitantur habitu sapientiæ, qua animæ naturam in se cognoscunt, omniumque existentium per se naturas, & ipsum verum bonum & pulchrum contemplantur. De pura animæ intelligentia, qua seipsam speculabitur, sic inquit in 10. de repub. Tunc demum veram naturam ipsius animi contemplantur, agnoscemusque vtrum varia sit an simplex, qualis ve sit omnis eius conditio (& in eodem) si quis vero qualis illa sit simplex sit inspicere cupit, nequam quam eam intueri debet communiōe corporis malisque aliis in quinatam, quemadmodum ipsi nunc intuemur, sed qualis cum pura fuerit vbi certe & multo pulchrior apparebit & clarius cum talis fuerit. De habitu puræ sapientiæ sic inquit in phædone. Arbitrari quidem oportet verum philosophum quod non albi puram sapientiam posse affectu speret, quam in futura post mortem vira. Quod anima in seipsa collecta, non communiōe corporis, sed recessu à corpore, omnium existentium per se naturas intelligat, sic inquit in Phædone cognoscunt viri scientiæ cupidi, quem admodum philosophia eorum animam ita constitutam suscipiens, paulatim instruit, soluereque aggreditur scilicet à communiōe corporis ostendens quam fallax oculorum quam fallax aurium, cæterorumque sensuum sit iudicium, suadens ab his discedere, quatenus hæere illis summa non cogat necessitas, seque in seipsam reuocare atque colligere, nec vlli credere præterquam sibi, quatenus ipsa per seipsam intelligat quodlibet eorum quæ sunt existens per seipsum (& iterum inquit,) Puri & à corporis insaniam liberati, cognoscemus per nos ipsos sincerum quodlibet id est quodlibet vere & mere intelligibile. Quod tandem ad summi boni & pulchri contemplationem deueniat in qua putat Plato animo perfici foelicitatis status, egregie & elegantissime simpsonio sic describit. Quicumque hucque per amatoria gradatim deducitur, recto ordine pulchra intuitus, ad finem iam amatorij affectus perueniens, subito quandam naturam mirabilem inspiciet pulchritudinem. hoc illud est, cuius gratia labores omnes præcedentes subiimus. Primo quidem ipsum pulchrum semper est, nec fit nec interit, nec crescit vnquam neque decrescit, nec est ex hac parte pulchrum, ex illa turpe, nec tum pulchrum tum minime. Nec ad hoc pulchrum, ad illud vero turpe. Neque rursus imaginatione quadam ipsum pulchrum ita fingetur, quasi vultus pulcher aut pulchræ manus, aut aliud cuius corpus est particeps. neque in alio iacere putabitur velut in anima li vel in terra vel in cælo, aut in alio quodam, sed ipsum per seipsum cum semetipso vniforme semper existens. Cætera vero omnia, quæ pulchra sunt, illi participatione pulchra, ea scilicet conditione vt nascentibus & intereuntibus aliis, nihil subtrahatur illi aut addatur; neque passionem vllam incurrat. Quando vero illud ipsum pulchrum suspicere incipit, fermè iam finem attingit. In hoc vtique vitæ statu ò Socrates si vsquam alibi hominū videlicet ipsum pulchrum spectanti viuendum. Quod si quando videris, supra quam dici possit præciosius auro ornatique vestibus & pulchris pueris adolescentibusque censebis. Quam fælix illud spectaculum fore putamus, si cui contigerit vt ipsum pulchrum intueatur sincerum integrum purum simplex, non humanis carnibus, non coloribus non aliis mortalibus nugis contaminatum, sed ipsum secundum se pulchrum diuinum inspicat. Num vitam huiusmodi parui facis, hominis videlicet illius, qui tam præclarum spectaculum contuetur, & illi inhæret: hæc ille, & aduerte quod in doctrina Platonis. Ipsum per se ens, per se verum, per se bonum per se pulchrum, Deum gloriosum significat, & quoniam itatus verè foelicitatis intellectum & voluntatem perficit ideo Deus vt primum ens & primum verum intellectum clarissima

si ma intelligentia perficit, vt primum bonum voluntatem summo perficit desiderium, vt primum pulchrum speculatum eandem voluntatem summo afficit amore & gaudio, quod apud nos Dei fruitione signatur. Pater igitur quæ & quanta Plato noster senserit de statu animæ pro a-

lia vita, & hic terminatur tertium caput.

Explicit secunda pars tractatus de infirmitate animæ humanæ, Diuini Platonis sententiam continens, ordinata & edita à fratre Chrystomo, Ord. Prædic. philosophiæ sacræque Theologiæ professoire, sequitur tertia pars.

D. CHRYSOSTOMI IAVELLI,

Canapicij,

TERTIA PARS TRACTATVS DE

Infirmitate Animæ Humanæ, continens quinque capita.

Postquam probatum est ac defensauimus Arist. tenuisse se pro certo animæ humanæ infirmitatem, idem quæ sensisse & probasse, & persuasisse Plato. Superest perscrutandum si fides & credulitas de animæ infirmitate, est homini naturaliter indita, vel oppositum. Diuidemus igitur hanc tertiam partem in quinque capita. Primo declaratur propositum signo sumpto à religione, quæ est propria & naturalis homini. Secundo ex signo accepto ex statu naturæ, & statu legum. Tertio ex signo accepto à vita & moribus bonorum qui sapientiæ studium vitæ sanctitati iunxerunt. Quarto declaratur cuius conditionis fuerint qui animæ infirmitatem introduxerunt, aut eos defensarunt. Quinto declaratur quid de hoc sentiat christiana religio.

CAPVT I.



Ira primū aduerte, quod præcipuum signum, quo manifestatur homini, fidem & credulitatem de animæ infirmitate, esse nobis naturaliter ingentam sumitur à religione, quæ communi omnium sapientum iudicio, est homini propria. eo quod & soli & omni

hominum generi & semper conuenit. Solus enim homo in mundo inferiori intellectu viget, quo attingit non solum corporeas sed & incorporeas, & diuinam quandam naturam, à qua & homo omne ens aliud pendet, & circa cuius honorem ac cultum pietas ac religio omnis versatur. Dico enim religionem instinctum ipsum, omni hominum generi communem, quo vbique & semper diuina quædam vis & natura huius mundi dominia & conseruatrix contemplatur obsecratur & colitur. Hanc autem religionem fuisse & esse hominum generi naturaliter inditam, sicut & in speculatiuis atque practiciis ipsa prima principia, hinc constat, quod ferè omnes hominum opiniones & inuenta & instituta & mores sub tempore mutantur. Contrariæ quoque leges eodem tempore diuersis insunt gentibus, & quæ aliis turpia, aliis honesta videntur ex primo Ethicorum. Religio autem semper fuit & est & erit. Vnde Plato in Prothago affirmat homines etiam antequam congregarentur, vel communem instituerent ad inuicem sermonem, vel artes aliquas exercerent, statim ab initio ob naturalem cognitionem Deum adorasse, arasque & sacra fecisse, & in Critia de insula Athlantica describit gentem illic habitasse ante nouem milia annorum, regnum felicissimum & potentissimum tenuisse, ex præcipua religione qua Deum venerabantur, & ex iustis sanctisque legibus quibus obtemperabant. Verum postquam inquit Plato diuina fors in eis longo abusu, crebrisque mortalium rerum affectibus inquinata euauit, mosque humanus præualuit, tunc primum dedecori succubuerunt. Tunc sane Deo deorum Iupiter, qui regit omnia legibus, cum deprauari generosam stirpem animaduerneret, homines illos punire voluit, vt rursus adepti temperantiam modestiores melioresque euaderent hæc Plat. Cum igitur à primis seculis religio apud homines fuerit & communis, perseueretque, non existimandum est hanc inuenisse legum conditores ad populos coerendos, nam ante ciuitates & familias viguit in orbe religio, & homines sparsi Deum coluerunt, & legum conditores numina timuerunt, & obsecrati sunt, procul-

Iauel. Tom. iij.

dubio existimare debemus communem ipsam omnium gentium religionem erga diuinam naturam esse humanæ speciei admodum naturalem. Et confirmatur, quoniam sicut in habitu naturali primorum principiorum speculabiliū quæ statim approbamur audita, primum & firmissimum principium est, non sunt contradictoria simul vera, sic in habitu primorum, principiorum practicabiliū, est hoc. In primis, venerare Deos, deinde parentes dilige, &c. Nec obstat, quod apud diuersas gentes diuersi sunt ritus & instituta religionis, & apud eandem gentem de diuerso tempore mutantur leges, & nouæ crescunt de colendo Deo sententiæ. Est enim apud homines religio, sicut sermo, & comestio, & vestitus. Nam naturale est homini loqui, comedere vestiri. Quod autem sic vel sic loquatur comedat vestiatur, non est naturale, quia naturalia non mutantur, sed voluntarium, ideo illa semper permanent, modi autem variationes ex ratione & voluntate suscipiunt. Sic & religio naturalis quidem est homini modi autem & ritus voluntarij, ideo illa semper permanet, hæc autem sæpius mutata sunt, & mutabuntur, ex religione autem naturaliter inserta homini, sic deducitur propositum nostrum, scilicet, fidem & credulitatem de animi infirmitate esse nobis ingentam à natura. Quicumque Deum veraciter colunt, ideo colunt, quoniam inspecta naturæ humanæ excellentia super omnia bruta, ad imaginem similitudinemque illius se esse progenitos naturali intellectus lumine cognoscunt, clarum est autem illis humanum corpus non simile esse Deo. Est enim morti obnoxium magis sensibile, quam intelligibile, multiforme dissolubile, nunquam eodem modo se habens. Deus autem apud omnes recte sentientes natura est immortalis intelligibilis non sensibilis, vniformis, indissolubilis, eodem modo semper se habens. Cum igitur naturaliter intelligamus hominem non assimilari Deo secundum corpus, reliquum est vt assimiletur secundum animam, ergo naturaliter magis quam doctrina cognoscimus animam Deo similem esse immortalem intelligibilem indissolubilem & simplicem & quod est, eodem modo semper se habens secundum substantiam, licet variabilis apprehensione & affectu. Præterea, Colentes Deum credunt indubie Deum esse, specieque habent vt benefaciat colentibus eum, aliter remota fide & spe, vane colerent eum. Sed euidentissime cognoscimus Deum non benefacere nec remunerare pro hac vita omnes qui veraciter colunt eum, ergo naturaliter Deum colimus, futuræ vitæ gratia, ad cuius credulitatem naturaliter inclinamur. Nam vt Orphei canunt hymni, si diuina virtus elementa suis quæque distribuit locis. Si rebus quibusque vel minimis, pro sua cuiuscunque natura partitur munuscula, cur non hominibus etiam pro meritis loca præmia suppliciaque dispartiat? Ex eo ergo quod videmus sæpe numero bonos in hac vita relinqui immunes & malos impunes, naturali intelligentia aduertimus vitam alteram superesse in qua iustitia diuina pro meritis infallibiliter impletur, vita autem altera ex immortalitate animæ pender. Hæc igitur per consequentiam disponuntur. Religio est homini naturaliter indita, ergo fides & credulitas de futura vita, ergo fides de infirmitate animæ, & quod hæc in consequentia necessaria se habeant, amplius demonstrabitur infra, ex eo quod pij approbant & sustentant animæ infirmitatem. Impij autem impugnant, vt suadeant sibi & aliis, se posse impune peccare.

f

CAP

CAPVT II.

Circa secundum caput aduerte, quod fidem de animæ indeficientia esse nobis naturaliter editam magis quam ex doctrina aut humana lege signum sumitur ex ipso naturæ statu, & legum. Statum quidem naturæ dici mus, quando homines non ex conditis & scriptis legibus sed solo rationis dictamine viuentes operabantur & ipso lumine intellectus à primo omnium conditore nobis impresso, quales fuerunt homines ante legem Mosaycam, ante Aegyptiorum Persarum Græcorum Romanorum legum conditores, eo quidem tempore celebris fuit & famosa de animæ humanæ credentia. Nam Iacob audita morte Ioseph, noluit ab aliis filiis solacium accipere, sed inquit, de scendam ab inferna lugens filium meum Ioseph. Esiodus & Orpheus poetarum qui de diuinis scripserit vetustissimi, de animorum immortalitate apertissimè scripserunt. Teste Plato. in prothogora vt etiam in præcedenti ca. citatum est, homines antequam policiæ & domesticæ curæ instituerentur, gratia futuræ vitæ Deos colebant aras construiebant, & sacra celebrabant, vt potè ingenita quadam intelligentia excitati, qua se secundum animam immortales existimabant. Ex statu conditarum legum idem signum assumitur. Nam qui iustè & bene dispositæ legis conditores fuerunt, sic quidem processerunt, quod nullus animorum mortalitatem enunciat, minusque suadet, omnes autem aut virtualiter aut expresse oppositum induxerunt, cuius argumentum ex eo maxime sumitur quod omnis siue diuinæ siue humanæ legislator, in numen aliquod legem acceptam reduxit, primamque & præcipuam de diuino cultu ac religione instituit legem, & quidem quod omnis famulus & celebris legis conditor in aliquod numen leges suas tanquam ab eo susceptas retulerit hinc accipe. Zoroaster Bactrianis & Persis leges tradens reduxit in Oromasim. Termegistus Aegyptiis in Mercurium. Moses Hebreis in totius naturæ patrem & authorem Deum. Minos Creten sibus in Iouem. Carondas Carthaginensibus in Saturnum, Lycurgus Lacedemoniis in Apollinem. Solon Atheniensibus in Mineruam. Numa Romanis in Egeriem, Xamolchis scitis, in Vestam, Plato Siculis in Iouem & Apollinem. Iesus seruatur noster in Deum patrem. Quæcunque inquit audiui à patre meo, nota feci vobis. Maumeth seductor in Gabriele, postquam autem omnis legis conditor legem in aliquod nomen retulit, primo de religione legem instituit, quod maxime patet in Zoroastri Oromasij magia, est autem illa deorum cultus vt testatur Plato in Alcibiade de homine. Reductionem vero conditarum legum in aliquam diuinam virtutem, & acuratissimam de colendis diis institutionem, super de animi indeficientia credulitatem proculdubio fundarunt, existimauerunt enim vt principii solidissimum, animas semper viuere, ideo tale principium quasi ex natura concessum, aut tacuerunt, aut simpliciter enunciarunt. Quo posito comprehenderunt rationi consentaneum esse, vt Deus de hominum genere vt potè sibi cognato & simili, curam gereret, ideoque sanctum ac iustum fore. Si homines Deum colerent, cuius bonitate seruantur. Nullus ergo tibi neque aliis suadeat, animi indeficientiam in populis inualuisse ex solo legum instituto, aut ne homines in vicia & scelera licentiose & pro libito ruant. sed ex naturalis luminis intelligentia, à qua nullus est expers, nisi fuerit infectæ deprauatæque naturæ, vt inferius apertissimè demonstrabitur.

CAPVT III.

Circa 3. cap. aduerte qd à vita & moribus bonorum, qui sapientiæ studium sanctitati vitæ coniunxerunt, euidentissimum signum sumitur quo arguere possumus fidem & iudicium de animi indeficientia esse homini naturaliter ingenitam. Tales namque non modo verbis & scriptis sed vitæ sanctimonia, & morum probitate, & patientia in aduersis, & præcipua religione declararunt quasi à natura sibi insertam de animæ indeficientia fidem firmissimamque sententiam, & id nobis ostenderunt Persarum magi. i. sapietes, Aegyptij sacerdotes, Hebrei prophetæ, philosophi sectatores Orphæi & Pythagore, & Socratis, & Platonis, & prisca christianæ religionis. Theologi, de quibus infra loquuturi sumus, hi omnes profecto incomparabili sapentiæ & vitæ integritate dictante ratione pollebant, & animorum immortalitatem pœnas & præmia post hanc vitam indefef

se mortalibus suadebant. Neque putandum est eos finxisse aut præcise imaginationes composuisse, quoniam huius rei gratia vitæ periculosa se exponebant, studiosis operibus iugiter insistebant, & veluti ab omni corporis voluptate separati præsentem vitam terminare contendebant, fuerunt & alij quam plurimi doctissimi philosophi ex barbaris & græcis & latinis, qui & si non tanta excelleret vitæ castimonia, quanta illi quos ante memorati sumus, honestis tamen moribus vitam duxerunt, & religioni & fidei de animæ indeficientia fauere non dubitarunt, & vt in summa re nostram complectar, nolo te latere Alexander optimè, qd à primis seculis vsque in præsens, qui vixerunt secundum naturam integram fortitque sunt ingenium sanum, & benignam siderum dispositionem, hi quam maxime & religioni & animæ indeficientiæ fauere conati sunt. Vixerunt autem & viuunt secundum naturam integram, qui non more brutorum feruntur in agendo aut commoti passionibus concupiscentiæ, aut agitati furore & atrocitate irascibilis, sed dictamine rationis erga Deum & proximum & seipsum optime se habent. Tales fuerunt ab antiquis seculis Termegistus rerum philosophus & sacerdos apud Aegyptios. Regij pedagogi apud Persas, de quibus scribit Plato in Alcibiade de homine, eos fuisse sapientissimos iustissimos temperatissimos atque fortissimos. Hi regis Persarum primogenitum post ætatis annum quartum decimum erudiebant hoc quidem ordine. Primus Zoroastri Oromasij filij magiam docet, est autem illa Deorum cultus, appellaturque apud eos docta religio, siue sapiens pietas. Secundus admonet vt omni tempore sit verax, Tertius ne vlla cupidine superetur, vt liber viuere consuescat, ac primum imperans sibiipsum ne vili seruiat. Quartus impaudum & intrepidum reddit, ne quæ aliquid metuens seruus fiat. Pythagoras qui totius virtutis & honestissimæ vitæ regulam in versibus aureis descripsit. Socrates qui primus dicitur ethicem duxisse à cælo. Plato, quem Marcus Varro, & Apuleius tantum extollunt, vt eum non solum Heroibus superiorem fecerint, sed & diis æqualem quia s. diuinarum rerum secreta penetrauerit, Xenocrates cuius vita teste Diogene est fortitudinis & sanctitatis exemplar. Demosthenes qui postquam Plato, & Xenocrates de immortalitate animorum differentes audierat dixit, se male honeste mori quam turpiter viuere sicq; discurre mi Alexander in antiquis & recentioribus historiis, & procul dubio pro maiori parte inuenies, quod quicumque sapientiæ studium honestæ vitæ adiunxerunt, sicque secundum rationalis vitæ integritatè viuere studuerunt, & animi indeficientiam & pietatem erga Deum tutati sunt. Sortiti sunt autem ingenium sanum, qui sanæ & naturalis vt humanæ speciei conuenit sunt complexionis. Sanam vero & natralem hominis complexionem iudicamus sanguineam ac maxime temperatam. Sanguinea complexio aerea est, in calore temperato & vitali humido consistens, hæc profecto ad sanum & clarum ingenium atque naturalem prudentiam accommodata est, & verum iudicium tam in speculatiuis, & practicis non perturbat, imo perficit. Sicut qui sani est gustus, vere de saporibus iudicat. Qui talis sunt complexionis & præclaro ac sano ingenio in speculandis rerum naturis sese exercent, vere ac recte de Deo de religione, de animæ indeficientia iudicant. Benignam vero siderum dispositionem sortiti sunt, qui Saturnum & Mercurium in ortu habuerint directos. Hec. n. sidera in aspectu recto ad speculandum inuitant quæ spiritus ad interiora contrahunt, augent ingenium, iudicium firmant inanes suspensiones prohibent, & naturalem fouent religionis instinctum. Dixi directos, quoniam si retrogradi fuerint, ad opposita disponunt vt distinctius declarabitur infra. Quoniam igitur verax existimandum est iudicium illud, quod à natura integra, à sano ingenio à probatis moribus & vitæ sanctitate procedit, ideo sapientibus & probatis ac grauissimis viris credendum est, qui animi nostri indeficientiam & verbis & scriptis, & actibus contestati sunt.

CAPVT IIII.

In hoc 4. c. declarare proposui Alexander optimè, cuius fortis, cuius vitæ & conditionis fuerint authores de animæ nostræ deficientia, qualesque sint, qui & antiquitus & nunc eorum sententiam defendere contendunt. Tu igitur aduerte quam describimus distinctionem ex his qui animæ mortalitatem introduxerunt.

Vel fuerunt impij.

Vel ignavi seu voluptuosi.

Vel flagitiosi.

Vel infani.

Vel melancolici.

Vel habentes Saturnum & Mercurium retrogrados.

Vel feruore iuuenili agitati, sed hi sanabiles sunt, & sanantur accedente senectute.

Qui autem eorum sententiam defendere contendunt etiam quod non sint illius mentis, aut nimis curiosi sunt aut singularis nominis cupidi, & quoniam hi omnes, naturam habent infectam aut ingenium ægrum, aut complexionem corruptam, aut aduersam siderum dispositionem, ideo iudicium eorum ut fallax & monstruosum, à mentibus bene dispositis reiciendum est, ne eorum exemplo inficiantur.

Primo quidem dicimus vel fuisse impios. Impios quidem dicimus in hoc proposito nostro non qui immites aut im-miseri cordes, sed qui religiosi, & huiusmodi homines ex ferina magis quam rationali natura, aut Deum negant aut Deum homines curare, sicque non modo seruât de diuino cultu instituta sed contemnunt & derident & impugnant, aliosque auertunt ne sanctiores aut meliores habeantur. Isti & diuinam sollicitudinem erga nos, & præmia & poenas alterius vitæ, & animorum immortalitatem nõ ratione sed magis feritate & infania negant. Tales fuisse dicuntur præcæteris Diagoras & Dicearcus apud græcos. Pharo in Aegypto, qui ut legimus Exo. c. 5. ferina voce clamauit contra Mosem. Quis est dominus ut audiam vocem eius, nescio dominum. Apud Caldeos fuit Nabuchodonosor, ut legimus in Daniele c. 3. Apud Romanos fuit Caius imperator teste Ioseph, qui imaginem suæ statuam suam per totum imperium deferri iussit ut adoraretur, nullum præter seipsum Deum existimans. Tales in humana specie ut monstra deuitanda sunt, ut potè & ratione & recto iudicio expoliati.

Secundo diximus, vel ignauos aut voluptuosos. Hi sunt qui soli ventri & ueneri inferuiunt. Hi penitus viuunt declinantes ad mores animæ brutalis & sua pessima consuetudine curas faciunt in terris animas suas cælestium rerum inanes, qui adeo detinent rationem & intellectum sub sensu & imaginatione & concupiscentia demersum, ut nil veri intelligant, neque ordinato processu discurrant. Hi ex deprauata in eis humana natura, nihil credunt quod sensu nõ apprehendunt ideo solo corporea contententur, & quoniam animæ humanæ substantiam sensu non percipiunt. Ideo eius in deficientiam negant, decernentes suo deprauato iudicio, quicquid boni aut mali contingere potest homini, totum pro hac vita terminari. Hi quos dicimus voluptuosos & ignauos ab Arist. in 1. Ethic. nuncupantur onerosi, & in 3. lib. dicti sunt bestiales eo quod intemperantia cibi & ueneris, rationem auferit, & in bestiam vertit. Horum animas Plato in Phædone, pollutas impuras, contagione corporea inuolutas appellat, eo quod cum nil aliud quàm corpus amauerint, eiusque voluptatibus ac libidinibus quasi quibusdam ueneficiis incantatæ fuerint, & vsque adeo captæ ac demeritæ, ut nihil aliud præter verum, nisi quod corporeum sit, quod tangi, quod uideri possit. Sicque in corpore ut in luto demersæ, cum corpore se morituras falso existimant. Talis fuit Epicurus suaque fedissima secta apud græcos. Sardanapalus apud Assyrios, & quod deterrimum est iam redit Epicurus, & ubique passim dominatur. Tenuit hæc pessima secta inter Hebreos & iura sua. Hi nempe sunt, qui in euangelio beati Mathæi Saducei nuncupantur, qui spiritum, i. animæ immortalitatem negarunt, quos in diuina lege hæreticos seruator noster redarguit.

Tertio diximus vel flagitiosos. Hi sunt quos Arist. in 7. Ethic. feros siue inhumanos appellat, qui licet imagine & corporis dispositione homines appareant, affectibus tamen a deo deprauati sunt, quod cruentis bestiis & feris comparatur. Incidunt autem in has pessimas animi ægritudines inquit Arist. in 7. Ethic. triplici de causa. Primo ex conuictu & conuersatione cum gente barbara, quæ potius impetu quàm rationabili lege operatur. Secundo ex maximo infortunio, quod aut bonis fortunæ, aut caris suis, aut proprio honore, aut patria priuantur. Sic enim exasperati uertuntur in furorem, expoliant se omni humanitate, & induunt feralem naturam. Tertio ex pessima corruptione humanarum passionum siue affectionum, ita quod sit progressus ultra limites humanæ vitæ in similitudinem immanissimæ feræ ut tigridis aut draconis, & tunc adeo peruertitur rationis iudicium,

Iael. Tom. iij.

quod mala pro nobis eligunt, falsa pro ueris iudicant. Isti sunt deorum & religionis contemptores. Inhonesti sacrilegi, patriæ proditores, humanum sanguinem ut feræ effundentes, parricidæ, & in omni malorum genere famosi. Hos inquit Arist. hominum maliciam excedentes semper infamamus id est bestialissimos & inhumanissimos appellamus. Hi animæ mortalitatem tenent, quoniam de se non aliter quam de ferali natura sentiunt. qualis autem unusquisque est, taliter & iudicat. Vnde sicut ægri non approbatur iudicium de gustu, sic nec uiri inhumani & bestialis iudicium de rerum natura, procedit. nõ in iudicio non sana mente, sed morbo animi, quo nil miserabilius. Ex his fuisse dicitur Aristippus apud græcos. Nero apud Romanos. Magnus Mahumeth Turcarum tyrannus, christiani nominis, seuissimus hostis, qui ut cruenta bestia abeat in malam crucem.

Quarto diximus, vel insanos. Hos iudicamus furiosos siue freneticos ex proprietate. Nam apud Arist. in li. de somno & uigilia, & apud Auicennam in 6. naturalium, freneticus ex inordinato & impetuoso regressu specierum sensatarum ad principium sentiendi id est ad sensum commune quod alij debent se videre dum dormientes somniant, dicit se videre in uigilia, & iurat & affirmat sic esse, nec potest suaderi in oppositum. Hinc est quod freneticus dicit in camera se videre mortuos & armatos, & bestias, & multa horum genera, cum nihil eorum sit ad extra. Isti obstinatissimæ sunt apprehensionis & falsæ, & omne eorum dictum ut uerum sine dubio approbari uolunt. Hi in agendis malè cõsulunt, in speculandis pessime sentiunt. Hi auctores sunt heresum in lege diuina, & corruptores bonorum morum, & in philosophia pessimos inducunt errores. Hi nulli legi se subiiciunt, & sola poena arctandi sunt. Isti de Deo malè sentiunt, ut pessimus ille Auerroes qui à Deo vigorem infinitum abstulit, qui diuinam sollicitudinem erga singularia ut singularia sunt negauit, qui oem animam informantem materiam mortalem posuit, qui putauit animam intellectiuam esse unicam omnium hominum sed separatam ut intelligentiam, & ut sic immortalam, qui dictus est uo tempore se professum fuisse legem Moysi, alio tempore legem Christi, alio tempore legem immundissimi Mahumeth, denique omnes has leges despexit, ut qui se bestiam fecerat, negando animam intellectiuam esse formam dantem esse homini, siue lege ut bestia uiueret. Isti infani & atrabili vexati oem pietatem & diuinum cultum prosteruunt. Suadent mortalibus mortalia tantum curare, & ut terrei credunt humanum spiritum in terram reuerti. Ex his fuit insanus & amen-tissimus Lucretius, qui scriptis suadere conatus est religionem non à iudicio naturali, nec recto rationis dictamine, sed corruptione cõplexionis, & solo legum instituto provenire. Sed quæ falsum id existimandum sit, iam docuimus in 1. c. huius tertie partis. Qui animam suam primo conat⁹ est uerbis & scriptis perdere in 3. lib. de natura rerum faciens eam mortalem. Deinde corpus suum gladio perdidit, dum se ut freneticus interemit. Verum sicut egrotanti de sapore uini non est credendum sed bene ualenti, sic nec his insanis, sed bene mente dispositis ad hærendum est. Tu cum aduerte mi Alexander quod & si Lucretius disseruerit animas perire cum corporibus ipsa tamen ueritate & aliquali lucido interuallo sic inquit. Cedit idem retro, de terra quæ fuit ante in terram. Sed quod missum est ex ætheris oris id rursus cæli fulgentia templa receperant. Sic Lactantius Lucretium allegat.

Quinto diximus vel melancolicos. Hi autem sunt quibus humor frigidus & siccus & obscurus siue ater dominatur, & huiusmodi qualitates vitalibus qualitatibus opponuntur. Radicatur enim uita ut declaratum est in li. de morte & uita in calido & humido sibi proportionato, & in spiritu subtili ac lucido. Quibus igitur prædictus humor dominatur auferit ab eis spem vitæ & animo suspicionem ingerit contra uitam, ut potè vitæ contrarius, & morti conueniens, fundatur enim mors in frigido sicco grosso. Hinc prouenit quod licet quam plures sint ingenio & doctrina excellentes, tamen si prædictus humor eis prædominatur, adeo suspiciosi & timidi redduntur, quod de immortalitate animæ ambigunt & diffidunt, etiam quod habeant rationes magis pro immortalitate quam pro opposito probabiles, assimilanturque his, quorum ratio iudicat nihil esse in uia aut in ecclesia aut in cimiterio quod eis nocere possit, & tamen sensus horret in tenebris. Sic & isti licet secundum rationem iudicent, existimandum esse animam immortalè,

f 2

tamen

tamen ob terrenum humorem plerūque diffidunt. Tales fuerunt Heraclitus, Chyrippus, Democritus, Zeno, Ciceius, Aueroeris, & Auempaces, Arabes, & Auempaces scribit sibi hanc diffidentiam contigisse ex humore illo sibi prædominante. Sed cum tale iudicium ingenium egrum utpotè melancholicum & vitæ contrarium concomiretur, non est magnopere existimandum. Tu tamen aduerte Alexander optimè, quod si qui à genitura vel ab ineunte ætate hoc humore grauantur, moderate tamen ita quod maniam non patiatur. Vel si ex diuturno speculandi exercitio melancholici euadunt, ut plerunq̄ studiosi eligentes vitam solitariam, modo fuerint bene educati, ita quod eorum animæ mancipium non fiant sui corporis, tanta est vis naturæ nostræ rationalis & stabilitas, quod inanes illas de animi deficientia suspitiones à prædicto humore terreo suggestas facile fugiunt, fiuntque & sapientia & pietate & viq̄ integritate insignes. Tales fuerunt Socrates & Plato & Pythagoras, & Varro, & Appollonius Theaneus. Quod si mala educatione deprauati fuerint, tanta est vis illius humoris terrei, ut inuertibiles insanabilesque fiant, & duces errorum.

Sextò diximus vel habentes Saturnum & Mercurium retrogrados. Aduerte ut diximus ea, præced. hæc sidera directà acutiorem hominem reddunt, ad contemplandum inuitant, qm̄ ad interiora spiritus contrahunt. Ingenium docile augent, religioni & his quæ sunt diuinæ legis plurimum fauent. Quod si retrogradi fuerint, neque optimè dispositi, in omnibus reddunt hominem formidolosum ambiguum in terminatum suspiciosum propter terream eorum qualitatem non satis aspectu aliorum fiderum temperatam. & ex his prouenit quod huiusmodi homines, nisi forti imperio rationis contra sinistrum influxum præualeant, non solum in his quæ ad religionem & diuinam legem spectant, sed etiam in omni negotio pertractando ambigant & diffident, & non tantum secum affert hic aduersus influxum defectum quo ad vitæ & immortalitatis fiduciam, sed etiam quo ad humanarum rerum gubernationem, hi ut in pluribus non prosperantur in diebus suis. Hi interrogati si Deus prouidet humanis, si anima immortalis, &c. dicunt, nescimus, forte sic, forte non. Sed meminisse te oportet, eam opinionem non satis habere fidei, imo nec auscultandum, quæ sequitur aut ingenium melancholicum ægrum, & quodammodo vitæ contrarium, aut indebitam & noxiam fiderum positionem, quæ etiam complexionem perturbat, & aliquando peruertit humanam. Tales igitur si animæ deficientiam inducunt, audiendi non sunt.

Septimò diximus vel feruore iuuenili agitato quæ tamen sanabiles sunt, & sanantur accedente senectute. Aduerte igitur Alexander optimè duas esse ætates ut scribit Plato in decimo de legibus religioni deditas, pueritiam scilicet & se senectutem. Nam pueri cum lacte religionem à parentibus suscipiunt & imbibunt, & in illis permanent quæ imbibunt, donec in adolescentia & in iuuentute feruida, ratio ipsa excitatur, quæ ex sui natura & innato desiderio sciendi, suo discursu singularum rerum causas & rationes exquirunt. Quod si iuuenes & adolescentes ea studia recipiant aut in illas incidant disputationes, quibus omni diligentia conclusionum rationes & causæ perferuntur, incipiunt nil velle asseuerare nisi cuius ipsi firmam rationem iudicio suo perspexerint, & tunc quam plures eorum religionem magna ex parte post tergum proiciunt, nisi forte legi fidem adhibeant, seniorumque consilio & eruditioni se committant. Nam rerum diuinarum occultissimæ rationes, longo vix tempore, & exquisitissima diligentia, & purgata mente comprehenduntur, & quoniam adolescentior ac iuuenilis ætas, diu non vixit, ideo huiusmodi rationes nondum attingit, nec mentis oculus aperitur ut inquit Socrates ad Alcibiadem teste Platone in libro inscripto Alcibiades de homine, donec corporis oculus incipit deflorescere accedente scilicet maturiori & senili ætate, nonnulli in ætate iuuenili constituti, quia nihil affirmant nisi cuius rationem viderint, non solum religionem non curant, sed etiam Aristippicus & Lucretianis voluminibus se dedunt, & tandem nil amplius de religione quam de anilibus fabulis cogitant & iudicant. Quidam vero nacti meliorem sortem licet perrari Pythagoreo ritu id est abstinentia obsecrationibus castitate, mentem purgant à sensibus & eleuant, per morales ac diuinas disciplinas, ne Lippos adhuc oculos in diuinum solem subito dirigentes caligare cogantur, sed gradatim progredientes lumen diuinum in mora-

libus primo, deinde in metaphysicis perspicere contendunt. Hos Orphæus appellat musarum legitimos sacerdotes, qui & in ætate maturiori de religione, de credendis prout diuina lex disponit, bene & optimè sentiunt, ut aperitissime Plato demonstrat in epistola ad Dionysium, & in Phædron & in decimo de legibus, & aduerte mi Alexander, quam paternaliter Plato ipse iuuenes admonet, ne temere aut scito de diuinis sententiam ferant sed legibus credant, donec ætas maturior superueniat, vel per eos disciplinarum gradus, quos enarrauimus vel per quandam animæ suæ pra corpus eleuationem, quam moderata senectus inducit, videant clarius & discernant quam ante consueuerant. Hac de causa cum Plato Dionysius adhuc iuueni diuina quædam mysteria sub velamine tradidisset, admonuit primo ut ea quam diligenter examinaret. Nullum enim hoc studium beatus esse potest. Deinde summopere caueret, ne in hominum imperitorum aures hæc exciderent, quia nulla solent apud vulgus esse magis ridicula, apud bonos autem & graues, & casto ac sano ingenio præditos nulla magis digna ac mirabilia. Addit insuper Plato ad Dionysium scribens diuina mysteria postquam frequentius examinata atque speculata fuerint vix tandem ut aurum purgari atque lucere, ut etiam multa acutissimi & eruditissimi, cum talia in iuuentute, & etiam vsque ad ætatis suæ annum trigessimum audientes tanquam incredibilia reprobaerint, postea tamen ad maturam senectutem deuenientes, & tunc diligentius examinantes ut rationabilissima concesserunt, & contraria ut falsa damnarunt. Quos igitur videris in iuuentute constitutos de animi indigentia non bene fidei, præsumendum est non tam recta intelligentia quam immoderato illius ætatis impetu & feruore ad hoc deduci, quos tamen nisi prauis moribus inficiantur, qui & intellectum ut ita loquar ægrotare faciunt, senectus ipsam corriget & docebit.

Octauò diximus eos qui sententiam de animæ deficientia defensam, etiam quod non essent illius mentis, aut nimis curiosos, aut singularis nominis cupidos. Aduerte mi Alexander, hominem studiosum esse, laudabile proculdubio est. Est enim studiosus qui ordinato & temperato appetitu applicat se rei cognoscendæ, alio tamen & alio medio, prout diuersæ rerum cognoscibilium essentia & quidditates exquirunt, nam aliæ rationes expetendæ sunt in moralibus, aliæ in physicis, aliæ in mathematicis. In moralibus enim persuasibiles sufficiunt. In physicis ab effectu. In mathematicis autem certissima & ad sensum sunt adducendæ rationes. Quod si quis in moralibus mathematicas exquirat demonstrationes, & in mathematicis contentetur persuasibilibus, hic iam non studiosus dicendus est, nec laude dignus. Curiosum autem esse damnabile est. Est enim proprie curiosus, qui inordinato appetitu tendit in rerum cognitionem modo non conuenienti rei cognoscendæ, vel supra proprii ingenij facultatem, estque in causa quod homines de facili cadant in errores. Quod si curiosum esse reprehensibile est, longè magis, nimis curiosum. Nimis autem curiosus est, qui in nulla ratione quiescit, qui proposito decreuit nil acceptare, nisi qd̄ proprio metitus fuerit ingenio. Sunt & alij, qui ut se supra alios famosos reddant, videanturque noui aliquid inuenisse, probatas conclusiones & à bonis ac eruditissimis viris defensatas impugnare aut infirmare decernunt, non q̄ firmiores habeant rationes, sed ut inquit Plato in Phædone existimentur ab aliis, se solos sapientissimos euasisse atque aduertisse neque in rebus neque in rationibus esse sanum aliquid aut firmum. Sed omnia ut in Euripo sursum deorsumque iactari. Sed & isti relinquendi sunt, virisque bonis ac mente & vita & doctrina sanis acquiescendum est, qui de religione & animi indigentia optime sanxerunt, & sanctitate morum comprobarunt.

CAPVT V.

Hactenus dictum sit Alexander optime, quid Aristot. quid Plato, quid & alij qui ante christianam fidem sapientia studium vitæ & morum honestati iunxerunt de animæ nostræ indigentia tradiderunt. Qualesque fuerint, qui oppositum introduxerunt. Nunc superest breuiter excipere, quid in hoc proposito teneat & profiteatur christiana religio, quæ sola tibi & aliis diuino lumine fidei catholice illustratis sufficere debet, & ne longius te detineam, satis me fecisse putabo. Si legislatoris nostri Iesu & primorum qui legem nostram scriptis & vita, & sanctitate, & omnis

omnis præclari operis testimonio comprobant. Sententias adduxero.

Reparator noster, suæque diuinæ legis nunciij ac scribæ quatuor euangelistæ, super animæ indeficientiam ædificauerunt, quicquid de Deo, de diuino cultu, diuina iustitia, diuina bonitate, approbatione boni, & reprobatione mali mortales docuerunt. Illud autem tibi sufficiat adduxisse, quod scribitur Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt. Sapientissimi Pauli Epistolæ passim animæ indeficientiam non modo supponunt ut rem in dubio non vertendam, sed frequentissime enunciant. dicit ad Rom. c. 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de carcere mortis huius. Cupio dissolui & esse cum Christo. Timens autem ne Collosenses à vanis & superbis philosophis deciperentur, sic ad eos scribit c. 2. Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, & non secundum christianum. Iacobus, Petrus, Ioannes, qui canonicas scripserunt epistolas, futuram vitam, quam non est dare absque animæ indeficientia, apertissime enunciant. Iacobus in epistola sua cap. 1. inquit, Beatus vir qui fuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromissit Deus diligentibus se. Petrus in epist. 2. c. 1. inquit, Velox est depositio tabernaculi mei, i. corporis mei, secundum, quod & Dominus Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis. Ioann. in epist. 1. c. 2. inquit, Et hæc est repromissio quam ipse pollicitus est nobis vitam æternam. Hæc scripsi nobis de his qui seducunt vos. Sed sicut docuit vos dominus manente in eo, & Iudas Apostol. frater Iacobi, non ille Scarioth, in epist. sua c. 1. inquit, Vos autem carissimi memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab apostoli Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in nouissimis temporibus venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes. Vos autem carissimi vosmetipsos in dilectione Dei seruare, expectantes misericordiam domini in vitam æternam. Ioan. in Apocal. postquam annunciauerat in cap. 14. Beati mortui qui in domino moriuntur, & c. sententiam damnatorum descripsit in c. 21. Timidis autem & incredulis & execratis & homicidis & fornicatoribus & veneficiis & idolatris & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Bonorum vero liberationem ab omni quod triste est, sic manifestat eodem cap. Absterget Deus omnem lachrimam ab oculis eorum, & mors ultra non erit neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quoniam prima abierunt.

Post diuinos nuncios, qui Christi sanctissimam legem promulgarunt, accedunt primi & sapientissimi omnique sanctitate venerandi ecclesiæ doctores, Dionysius arriopagita Pauli discipulus in libro de diuinis nominibus c. 6. Iauel. Tom. iij.

inquit, Anima rationalis postquam incepit esse semper est, & in c. 4. inquit, Post illas clarissimas mentes, i. post Angelos, animæ & quæcunque sunt bona animarum sunt propter bonitatem supremæ bonam, i. bonitatem diuinam, & habent substantialem vitam inconsumptibilem.

Origenes in commentariis super cantica inquit, Vbi afforet Dei iustitia, bonorum merces, malorum supplicia, si anima mortalis esset.

Ambrosius in exameron inquit, Qui rationales animas immortales esse dubitat alienus proculdubio à seipso est.

Augustinus in libris de trinitate, lib. 14. c. 3. inquit, Absit ut cum animæ natura sit immortalis, ab initio quo creata est, deinceps esse desistat.

Idem in lib. 15. c. 24. placuit optimo & sapientissimo conditori, ut spiritus hominis, Deo pie subditus, habeat foeliciter subditum corpus, & sine fine permaneat ipsa foelicitas.

Cassiodorus in lib. suo de anima c. 3. inquit, Anima hominis, ut veracium authorum consentit autoritas, à Deo creata spiritualis propriaque substantia, sui corporis viuificatrix, rationalis quidem & immortalis.

Si omnium qui de catholica religione scripserunt sententias citarem, quibus & animæ indeficientiam, & diuinæ iustitiæ rectitudinem in puniendis malis foelicitandisque bonis aperte demonstrant, non modo tractatus, sed nec quam plures libri sufficerent. Ideo hic finem facio. Tuisque petitionibus Alexander optimè fatis me fecisse arbitror, si ut credendum mihi est, quæ calamo descripsi, mente complexus fueris. Non enim est quod de animæ indeficientia te neque alium sani ingenij, & bene educatū ambiguum reddatur. Nam cum hominum genus propter animi inquietudinem corporisque imbecilitatem & omnium rerum exteriorum indigentiam, difficiliorem super bruta vitam agat in terris, nulla ratio suadet authorem vitæ eundem penitus illi dedisse viuendi terminum, quem & cæteris animantibus. Nullum enim animal homine infœlicius esset. Quoniam vero ratio non admittit ut homo qui Dei cultu propinquius cunctis mortalibus ad Deum accedit beatitudinis authorem, sit omnium infœlicissimus, necessarium esse videtur animis nostris è corpore velut è carcere recedentibus lucem aliquam superesse. Licet ut inquit diuus Plato lucem suam humanæ mentes non respiciant clausæ tenebris & carcere cœco, & illecebris carnis veluti terrenis compedibus præpeditæ. Sed soluamus obsecro mi Alexander. Soluamus inquam terrenarum cupiditatum vincula, ut Deo duce iam tandem ad sedem peruolemus ætheream, ubi fugata omnis generis indigentia, naturæ nostræ excellentiam foeliciter contemplabimur in diuinæ celsitudinis speculo, cui honor & gratiarum actio in secula sempiterna.

Explicit tertia & vltima pars tractat. de indefic. animæ humanæ, F. Chrysof. Iauelli, Canap. Ord. Prædic. prouinciæ Lombardiæ regularis vitæ, philosophiæ & sacre Theolog. professoris. Anno ætatis suæ 61. 1533. die 3. Nouembris.

f 3 D. CHRY

[Faint, mostly illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through or a second column of text.]

E P I T O M E S V P E R S P H A E R A M.



Aufz huius libri sunt quatuor Materialis, & hæc est corpus cæleste, efficiens, & hæc est Auctor qui fuit Anglicus. For malis, & hæc est modus procedendi. Finalis, & hæc est cognitio sui subiecti intrinseca. Extrinseca est cognitio sui creatoris. Nam dicit Ptholomæus in principio

almagesti. Scientia hæc est scientia quasi ducens ad Deum, est quoque vtilis medicinæ. Non enim potest medica curam si ignorat causam ægritudinis, quæ quidem causa sciri non potest. Si ignoretur motus & dispositio cælorum, quæ est causa omnis dispositionis inferioris.

Nota quod integrum est res tota, aut rei pars, quæ sexagenaria partitione non provenit. Minutum est sexagesima pars integri. Secundum est sexagesima pars minuti. Tertium est sexagesima pars secundi. Dies partitur in 24. horas, hora in 60. minuta, minutum in sexaginta secunda, secundum in sexaginta tertia: & ita deinceps secundum naturalem numerorum seriem quo fit, vt hora secunda contineat 3600. & tertia 216000. Signum est duodecima pars circuli. Gradus est trigesima pars signi, at triginta duodecies multiplicata 360. reddunt, quo fit vt iterum recte definiatur gradus esse tricentesima sexagesima pars circuli. Item & gradus pars circuli nuncupatur. Frangitur ergo circulus in duodecim signa, & signum in triginta gradus, & gradus in sexaginta minuta, & minutum in 60. secunda, & secundum in sexaginta tertia.

Animaduerte tamen in hac fractione sexagenaria. Si frangitur hora, fragmenta, illa minuta horaria. Secunda & tertia horaria dicuntur. Et si frangitur signum, dicuntur minuta, secunda & tertia, signi, & ita deinceps.

Et primo dicendum est de numeris, & proportionibus.

Numerus est multitudo mensurata per vnum. Omnis numerus, vel est perfectus, vel excedens, vel diminutus.

Perfectus est ille qui constat ex omnibus partibus suis simul sumptis. Pars autem numeri, est illa quæ aliquotiens replicata totum numerum componit. Sex est numerus perfectus: quia componitur ex omnibus partibus suis simul sumptis. Nam 1. 2. 3. faciunt 6. sunt autem perfecti numeri intra denarium numerum. 6. intra centenarium. 28. intra milenarium. 496. intra decem milia. 8128.

Numerus excedens est ille, qui superat omnes partes suas simul sumptas. vt 8. Nam 1. 2. 4. sunt partes componentes ipsum. 3. quæ omnes simul sumptæ sunt tantum 7.

Numerus diminutus est ille qui deficit ab omnibus partibus suis simul sumptis vt 12. Nam 1. 2. 3. 4. 6. componunt 12. quæ tamen omnes simul sumptæ faciunt 16. ideo 12. deficit à partibus suis.

De proportionibus.

Proportio communiter dicta est comparatio duorum adinuicem, in aliquo prædicato vniuoco, & sic dicimus quod duo albi habent proportionem in albedinem.

Proportio apud Arithmeticum, est comparatio duorum numerorum adinuicem. vt 4. comparantur ad 2. in proportione dupla, quia 4. bis continet 2.

Proportio apud arithmeticum est duplex, scilicet æqualitatis & inæqualitatis.

Proportio æqualitatis est duorum numerorum æqualium adinuicem comparatio. vt 2. & 2. sunt in proportione æqualitatis.

Proportio inæqualitatis est duorum numerorum inæqualium adinuicem comparatio.

Proportio inæqualitatis comparando numerum maiorem ad minorem, habet quinque species, scilicet multiplex super particularis, super partiens, multiplex super particularis, multiplex super partiens. Sed pro nunc tantum de duabus primis, quæ sunt magis necessariz, agendum est. Proportio, multiplex est cum maior numerus continet minorem pluries, & habet multas species: nam si maior continet mino-

rem bis, dicitur dupla proportio, vt 4. & 2. si ter, tripla, vt 6. & 2. si quater, quadrupla, vt 8. & 2. & sic procedit in infinitum, & de hac est figura sequens.

Figura multiplicium id est proportionum.

		Proportio									
		Dupla	Tripla	Quadrupla	Quintupla	Sexupla	Septupla	Octupla	Nocupla	Decupla	
	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	
	2	4	6	8	10	12	14	16	18	20	
	3	6	9	12	15	18	21	24	27	30	
	4	8	12	16	20	24	28	32	36	40	
	5	10	15	20	25	30	35	40	45	50	
	6	12	18	24	30	36	42	48	54	60	
	7	14	21	28	35	42	49	56	63	70	
	8	16	24	32	40	48	56	64	72	80	
	9	18	27	36	45	54	63	72	81	90	
	10	20	30	40	50	60	70	80	90	100	

Vt autem cognoscamus præcedentem figuram. Nota quod in ea describuntur proportionum multiplices, & nota quod eadem proportio quæ est inter duo & vnum, & inter 3. & 1. & inter 4. & 1. & inter 5. & 1. & vnum. Et inter 6. & 1. & inter 7. & 1. & inter 8. & 1. & inter 9. & 1. & inter 10. & 1. seruatur in tota figura vsque in finem directe descendendo. Et potest hæc figura multiplicari in infinitum.

Proportio super particularis est quando maior numerus continet minorem semel & aliquam partem eius, & habet multas species. Nam si continet minorem numerum & medietatem eius, dicitur sexquialtera. vt 3. & 2. & dicitur sexquialtera à sequi quod est totum, & altera quod est medietas, si continet minorem numerum & tertiam partem, dicitur sexquiertia, vt 3. & 4. Si continet minorem & quartam partem, dicitur sexquiquarta, vt 5. & 4. & sic procedit in infinitum. Et de hac est figura sequens.

Figura proportionum super particularium.

	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	
	2	4	6	8	10	12	14	16	18	20	
	3	6	9	12	15	18	21	24	27	30	
	4	8	12	16	20	24	28	32	36	40	
	5	10	15	20	25	30	35	40	45	50	
	6	12	18	24	30	36	42	48	54	60	
	7	14	21	28	35	42	49	56	63	70	
	8	16	24	32	40	48	56	64	72	80	
	9	18	27	36	45	54	63	72	81	90	
	10	20	30	40	50	60	70	80	90	100	

Vt autem cognoscamus præsentem figuram. Nota quod inter duo & tria est proportio sexquialtera. Nam continet 2. & med

2. & medietatem eius, & eadem proportio saluatur directe descendendo vsque ad 20. & 30.

Item inter 3. & 4. seruatur proportio sexquitercia.

- Inter 4 & 5 est proportio sexquiquarta.
- Inter 5 & 6 est proportio sexquiquinta.
- Inter 6 & 7 est proportio sexquisepta.
- Inter 7 & 8 est proportio sexquileptima.
- Inter 8 & 9 est proportio sexquioctaua.
- Inter 9 & 10 est proportio sexquinona.

Eadem proportio seruatur in tota figura descendendo directe per singulas lineas vsque in finem, & nota qd hæc figura potest multiplicari in infinitum. Et hæc de numeris & proportionibus sufficiant.

De principijs geometria.

Punctus est, cuius nulla pars est.

Linea est longitudo sine latitudine & profunditate, cuius extrema sunt duo puncta si finita intelligatur, vt hic.

Linea est duplex, scilicet recta, & curva.

Linea recta est breuissima extensio inter duo puncta, vt hic.

Linea curva est in qua medium discrepat ab extremis, vt hic.

Linea curva habet multas species. Nam alia est sphaerica vt hic, alia colūnalis vt hic: vel Alia oualis, vt hic. Alia lenticularis hæc non potest figurari in plano. Alia arcuata vt hic. Alia Elica vt hic.

Superficies est longitudo cum latitudine. vt hic. Superficies diuiditur in tot species sicut linea, sed est addens latitudinem.

Et nota quod triplex est superficies, scilicet plana, vt in tabula. Concaua, vt superficies interior cithari. Conuexa, vt superficies exterior pomi, vel pilæ & hic intelligitur de superficie exteriori.

Corpus est quod habet in se longitudinem & profunditatem, sicut est tetragon. hoc non potest congrue describi, nisi in materia eleuata.

Quadratum habet iiii. latera æqualia vt hic.

Quadrangulum habet duo latera longa, & duo breuia, vt hic. Corpus diuiditur vt superficies, sed est addens profunditatem. Prima species corporis est pyramis, cuius basis est trilatera & summitas est in puncto, vt hic. sed melius figuratur in materia eleuata. Secunda species est pyramis, cuius basis est quadrilatera vt hic, sed melius figuratur in materia eleuata. Angulus est qui causatur ex coniunctione duarum lin. vt hic.

Si linea recta cadat super lineam rectam directe facit duos angulos rectos, vt hic. Si autem coniungatur per modum crucis, facit quatuor Angulos rectos, vt hic.

Si linea sphaerica cadat super lin. sphaericam directe facit quatuor angulos rectos sphaerales vt hic, sed melius figuratur in materia eleuata.

Si linea recta cadat super lineam rectam obliquè facit angulum acutum, etiam obtusum. Acutus est strictior obtusus est latior, vt hic.

Si linea sphaerica super lineam sphaericam obliquè cadit, facit angulum acutum & obtusum sphaerale. Acutus est strictior, obtusus est latior vt hic, sed melius figuratur in materia eleuata.

Si duo circuli, vel plures fiant super idem centrum, dicuntur concentrici, vt patet hic. Si duo circuli vel plures fiant super diuersa centra, dicuntur eccentrici, vt patet inferius.

Et nota quod differentia est inter circulum & circumferentiam. Nam circulus est tota superficies circularis contenta inter illas lineas circulares. Circumferentia autem est linea circularis solum.

Centrum est punctus in medio circuli, à quo omnes linee ductæ ad circumferentiam, sunt æquales.

Incipit de Astrologia.

Prima diffinitio. Sphæra est corpus rotundum ex omni parte, qd producit ex circunouolutione semicirculi, quousque ad locum suum redeat, vnde incepit moueri stante diametro immobili, hoc non potest figurari, nisi in mate-

ria eleuata.

Diameter dicitur omnis linea quæ diuidit aliquod corpus in duas partes æquales, siue sit Triangulare, vt hic. Δ siue quadratum vt hic. \square vel \square siue rotundum \circ

Poli dicuntur illa duo puncta poli mundi, quia super ea imaginamur moueri cælum, & ipsa puncta sunt immobilia, sicut in rota poli dicuntur illi super quos voluitur rota.

Axis, differentia est inter diametrum & axim. Nam diameter est respectu circuli plani, sicut in Clipeo. Axis autem est respectu corporis rotundi ex omni parte, vt sphaera, & pila.


Secunda diffinitio. Sphæra datur per essentiam. Essentialiter enim Sphæra est corpus solidum & rotundum, i. vna superficies exteriori circumdatum. Solidum videtur esse nugatio dicere corpus, quia solidum significat corpus. Sed nota quod corpus solidum dicitur tribus modis. Primo dicitur firmum & durum, sicut lignum & terra sunt solida. Secundò dicitur continuum, sic aqua & cæli sunt solida. Tertiò dicitur solidum quod est trina dimensione dimensionatum, sit solidum, i. equicorpus, & ideo non est nugatio dicere, corpus solidum. Cum solidum dicatur multipliciter.

Et nota quod sic figuratur, sphaera secundum hanc diffinitionem.

Descriptio Sphæra.

Polus Antarticus.

Polus Arcticus.



(Sphæra autem dupliciter diuiditur.) Nota qd ibi accipitur sphæra pro corpore cælesti, vt est quoddam totum quod in se continet nouem cælos secundum Ptholomæum vt nouem partes integrales.

(Et in sphæram stellarum fixarum.) Et nota quod dicuntur stellæ fixæ, quia omnes mouentur vniformiter, & omnes sunt in nono cælo.

(Septem planetarum.) Nota quod dicuntur planetæ, i. erratici, quia non habent motum proprium vniformem, & omnes habent cælum per se, in quo sunt fixi, vt lapides in anulis, quod moueantur difformiter patebit infra.

Nota quod ordo planetarum secundum Ptholomæum cognoscitur hoc versu. videlicet Sim sum luna vltima, i. S. Saturnus. I. Iouis. M. Mars. S. Sol. V. Venus. M. Mercurius. Luna vltima. Vide etiam alio modo in principio libri: habes etiam supra Tom. j. fol. 218. De natura stellarum, & de ordine & situ stellarum præcipuè planetarum, & de motu, nec non de figura stellarum.

(Secundum accidens.) Nota quod sphæra diuiditur secundum accidens, quando diuiditur secundum diuersas regiones in quibus est habitatio. Nam alio modo collocantur sub cælo Aethiopes, alio modo græci. Alio modo Itali, vt dicemus infra.

(Sphæram rectam.) Nota quod illi qui habitant sub æquinoctiali, habent sphæram rectam duplici modo, primo quia possunt videre vtrunque polum, quia cum habitent in medio terræ, gibbositas terræ non impedit oculos eorum quin videant vtrunque Polum, vt patet in sphæra materiali. Secundò quia orizon eorum cadit directe super æquinoctialem, & facit quatuor angulos rectos sphaerales.

(Sphæram obliquam.) Nota quod illi qui habitant inter æquinoctialem, & polos, habent sphæram obliquam duplici modo, primò, quia non possunt videre nisi vnum polum quia non habitant in medio terræ. Si habitant versus polum articum, gibbositas terræ impedit ne videant polum antarticum. Secundo quia orizon eorum cadit obliquè super æquinoctialem, & facit duos angulos acutos, & duos obtusos sphaerales, vt patet in sphæra materiali.

(Circa elementarem.) Nota quod corpora cælestia debent esse immunia ab omni corruptione, quia omne corrup-

ptibile est compositum ex quatuor elementis sed cælum non est compositum ex elementis secundum Aristotelem, imo dicitur quinta essentia id est, corpus vel natura super quatuor elementa. Et nota quod corpora cælestia habent quatuor excellencias. Primo sunt incorruptibilia, vt dictum est, licet secundum Platonem in lib. Timei sint corruptibilia ex natura sua, sed potentia Dei cõseruatur in perpetuũ, sicut corpus humanum post resurrectionem. Secundo. Totum corpus cæli est lucidum sicut stella, licet non luceat, ratio est ita. Quia ad hoc quod lucidum luceat, est necesse lucidum est condensatum in aliqua materia. Et quia lux stellæ est condensata (vt patet supra.) ideo lucet. Et nota quod lucidum dicitur tripliciter, vt patet supra & nota quod sicut se habet aqua & glacies, ita stella & cælum, eadem ratione ignis non lucet in propria sphaera, quia non est receptus in materia condensata, sicut apud nos in ligno aut ferro. Tertio habet tantum motum circulem (vt patet supra Tom. j. fol. 227.) ad differentiam elementorum, quæ mouentur sursum, & deorsum. Quarto dicitur quinta essentia, nã quinque sunt essentia, scilicet, Terra, Aqua, Aer, Ignis, & cælum.

(Vnus est cæli vltimi. (Nota quod nonum cælum, habet solum vnum motum, qui dicitur diurnus id est, quem complet quolibet die naturali, i. in 24. horis, & quamdiu dies est mouetur ab oriente in occidentem. In nocte vero mouetur ab occidente in orientem, ita quod in quolibet mane est in oriente. (Vide supra. Tom. j. fol. 217. De motu cæli & fol. 215. habes quare sunt plures motus cæli, & de numero cælorum secundum diuersas opiniones.

(Est etiam alius) nota quod licet octauum cælum & septem planetæ sequantur motum noni cæli tamen conantur moueri in oppositum scilicet ab occidente in orientem, non quidem super polum arcticum & antarcticum, sed super polos circuli zodiaci, & optimè figurantur in sphaera materiali, & semper mouentur sub zodiaco, & quod moueantur duplici motu, est maximè manifestum in Luna, quæ licet quotidie moueatur ab oriente in occidentem, & in nocte ab occidente in orientem, tamen quando est noua paulatim incipit in ferro magis ac magis elongari ab occidente in orientem, vsque ad diem quintamdecimam, & tunc sole occidente Luna ascendit à parte orientis ☉. (Et fere sex horis) volui.

Ratio quare in octaua sphaera, quæ dicitur firmamentũ à firmitate naturæ in quantum non generatur nec corrumpitur, non autem ab immobilitate secundum locum, quod dicitur duobus modis, vno modo dicitur octaua sphaera tantum. Alio modo dicitur tota natura quinti corporis, sicut accipitur in Genesi ca. i. vbi dicitur quod Deus fecit duos magna luminaria, & posuit ea in firmamento. sunt multæ stellæ, & in inferioribus tantum vna, est vt dicit Aristoteles in 2. lib. cæli. Quia sphaera octaua, causa est vitæ inferiorum præ cæteris sphaeris, & non potuit esse nisi per diuersum lumen in stellis diuersum. Secundo quia natura temperauit, vt daret inferioribus sphaeris, quæ plures habent motus, cuiuslibet vnam stellam tantum, & superiori quæ pauciores habent motus daret multas stellas, & ideo quia superior mouet in feriores vnde cum inferiores plures habeant motus, oportuit quod superior plures haberet stellas, ex quibus plures motus causantur in inferioribus, per quod significat quod si in feriores haberent plures stellas, quod superior non posset eas mouere. Nota tamen quod sphaera nona nullam habet stellam, habet tamen influere, ratione lucis, & ratione motus, sicut alij cæli inferiores.

Si quærat. vtrum aliquod corpus sit inter sphaeras, vel spatium illud sit vacuum, vel sphaeræ se contingant. Dicendum quod secundum Amalpetra, quod contingunt se, sed ipse ponit quod non sunt eccentrici, neque epicicli, neque eleuationes, neque depressiones planetarum. Alij dicunt scilicet Auerrois & sequaces sui, quod totum est vnum continuum à Luna superioris, & habet vnum centrum terræ, & nihil eleuatur & deprimitur in ipso. vnde etiam ipse negat eccentricos, & epiciclos, & depressiones. Quidam dicunt quod sphaeræ non contingunt se, & corpus vnus verè est inter eas diuisibile quidem à sphaeris, sed non in speciem aliam transmutabilem, & in illo eleuantur, & deprimentur

eccentrici & planetæ. Quidam autem dixerunt antiqui, quod eccentrici & stellæ transeunt per corpus quod est inter sphaeras, & tamen non diuidunt ipsum & hoc contingit propter formalitatem illorum corporum, sicut & lumen transit per aerem. Mathematici Aegyptij, & Caldei, quidam Arabes, dicunt quod superiora sunt ignea, & ideo non est inconueniens, si ipsa moueantur motu eccentrico & planetarum.

Hæc Albertus in coruis quæstione quarta ar. 19.

Et fere sex horis.) Nota quod illæ sex horæ sunt causa bissexti, nam quater sex facit viginti quatuor horas quæ sunt vnus dies naturalis, & ideo quilibet quartus annus, habet vnum diem plusquam habeant anni præcedentes, & tunc dicitur bissextum currere, id est illum annum habere vnum diem plus.

De motu calorum, & eorum proprietatibus.

Primum mobile mouet omnes sphaeras planetarum ab oriente in occidentem circumcirca terram in 24. horis. i. in die naturali, & diuiditur in quatuor quadrantes, & quilibet quadrans continet sex horas, & quælibet hora quinque puncta.

Cælum stellatum mouetur motu contrario ab occidente in orientem contra motum primi mobilis, & complet motum suum in 36000. annis.

Saturnus complet motum suum ab occidente in orientem in 30. annis, & est planeta maliuolus frigidus & fuscus & pallidus, & plus nocet retrocedendo quam procedendo, & moratur in quolibet signo. 30. annis, & ipso regnante erit fortis hyems & æstas temperata.

Iupiter siue Iouis complet motum suum in 12. annis & est planeta beneuolus, calidus & humidus. Color eius est clarus quasi ad instar lactis. In quolibet signo moratur per annum, & ipso regnante æstas erit pluuiosa & aquea.

Mars complet motum suum in duobus annis, & est planeta meleuolus & fuscus, incitat homines ad bellandum. Igneus apparet & radiosus in quolibet signo moratur. 40. diebus, & ipso regnante, erit æstas sicca, hyems pluuiosa.

Sol complet motum suum in vno anno, & est planeta calidus & fuscus, & mediocris. Quia nec bonus nec malus. In quolibet signo moratur 30. diebus & 10. horis.

De alijs proprietatibus vide D. Albertum compendio Theo. libro secundo capitulo septimo.

Venus est planeta beneuolus calidus & humidus, semper comitatur sole, sed cum præcedit, dicitur lucifer, quando sequitur, dicitur vesper, colorem habet candentem, & refulgentem, electro similem, inter sidera plus splendet. & complet motum suum in 348. diebus.

Mercurius semper cum sole graditur, nunquam ab eo plus 30. gradibus distans, colorem habet radiantem, raro propter vicinitatem solis cernitur, & complet motum suum in 338. diebus, & est planeta calidus & fuscus.

Luna noctem illuminat, Lumen mutuatur, augmentum patitur, & decrementum. Infima est inter planetas, eclipsim patitur, & efficit, maculas habet propter coniunctionem eius quam cum inferioribus habet, scilicet cum terra. Item corniculata interdum apparet, ex eo quod pars eius illuminata, à nobis absconditur. Item regina cæli appellatur, quia Sol tanquam medius planetarum participat proprietates omnium, & eas ad Lunam, cum lumine suo transmittit. Ipsa enim Luna quæcunque à Sole, sicut recipit influit. Vnde quod per eam tali modo virtutes planetarum recipimus merito. His visis patet quod quando Luna prima inceditur optimum est semina iacere, quia tunc virtutes planetarum quas in inferioribus influit colligit, frigida est & humida. Solem præcedens minuitur, sed sequens crescit, & ab eo elongatur. Accessus & recessus maris per eam causatur. Signa autem zodiaci in 29. diebus & 8. horis 44. min. percurrit, & cum bonis bona est, cum malis vero æqua est.

Quom

Quomodo planetae situantur, patebit in figura sequenti.



Caract. signorum Zodiac.		Caract. Planet.	
♈ Aries.	♎ Libra.	♄ Aspect.	♄ Saturn.
♉ Taurus.	♏ Scorpio.	♅ Coniunctio.	♃ Iupiter.
♊ Gemini.	♐ Sagitar.	♆ Sexilis.	♂ Mars.
♋ Cancer.	♑ Capricor.	♁ Trius.	☉ Sol.
♌ Leo.	♒ Aquar.	♃ Quartus.	♀ Venus.
♍ Virgo.	♓ Pisces.	♁ Opposit.	☿ Mercur.
	♈ Caput.	♏ Cauda.	☾ Luna.

Aduerte in hac figura ne decipiari, ponitur. n. circulus signorum in non linea incipiendo à Luna, & sic videtur quod sit nona sphaera, quod tamen est falsum. Nam diximus quod in nona sphaera nulla stella est, per consequens, non sunt ibi signa. 12. sed sunt in octava sphaera, vbi sunt stellæ fixæ.


Nota circa figuram præcedentem, quod non rectè describitur, per eam enim videtur terram esse totam cooperatam aquis. debuit igitur formari. vt cognosceretur secundum partem non operiri aquis. Et quidem ad declarationem prædictæ figuræ, quæritur duo: primo vtrum naturale sit aqua non operiri totam terram. Secundo per quem modum est discooperata terra cum aqua sit maior ipsa terra. Vide solutionem supra Tom. primo, fol. 270. cap. tertio, per totum, cum figura & eius opinione D. Alberti, quam habes in hoc volumine in fine primi. Alias opiniones videbimus infra.

De calirevolutione.

Stellæ quæ oriuntur in oriente. Notandum quod omnes stellæ præter septem planetas, sunt in octavo cælo fixæ, sicut lapides in anulis, ita quod non possunt adinuicem propinquari, nec abinuicem elongari. Sed eodem modo semper se habent sicut in cælo fixæ sunt. Quod igitur cælum moueatur: signum est hoc. Notentur Pleiades, quæ sunt ante signum Tauri, & in mense Nouembris in vespere ascendunt ex parte orientis Sole occidente cum Scorpione, & in mane occidunt Sole oriente.

Stellæ quæ sunt iuxta polum. Nota quod iuxta polum, est constellatio quæ dicitur septentrio, siue arctos, vel vrsa maior, quæ nunquam occidit, quia semper voluitur supra nostrum horizontem obliquum: vt patet in sphaera materiali, & sic figuratur.


De cali rotunditate.



Quod autem sit cælum rotundum triplex est ratio, similitudo, commoditas, & necessitas. Similitudo enim, quoniam mundus sensibilis (factus est ad similitudinem mundi archetypi.) Mundus archetypus, est exemplar mundi in mente diuina, ad cuius similitudinem hic mundus creatus est, & ille mundus non habet principium, nec finem, quia est ipse Deus, qui est infinitus carens principio & fine. Ideo cõuenienter ad illius similitudinem sphaericus creatus est.




(Commoditas quia omnium corporum hysoperimetro rum.) Corpora hysoperimetra, sunt duo corpora habentia æquales superficies circundantes, vt duo corpora longa vno cubito, & lata vno palmo, ex quibus si fiant duo vasa, vnum quadratum, alterum sphaericum. Quadratum minus continebit quia anguli diminuunt capacitatem eius. Sphaericum autem plus continebit, quia caret angulis, ideo mundus conuenienter est rotundus, vt omnia possit continere.

Necessitas, quomodo si mundus non esset rotundus daretur vacuum, vel corpus sine loco, hoc non potest congrue figurari: nisi in materia eleuata. ¶ Vide supra tom. 1. fol. 219. c. 4. de figur. cali, vbi declaratur cælum habere figuram sphaericam, & non triangularem nec quadratam, nec columnalem, nec lenticularem, nec oualem figura patebit inferius, quod si non esset sphaericum, esset frangibile.



Si cælum esset planum vel quadratum, illa pars cali quæ est directe super caput nostrum esset propinquior nobis, quia si ducantur tres lineæ, à cælo quadrato ad caput nostrum illa quæ erit super caput nostrum, erit breuior, & stella quæ corresponderet, capiti nostro, videretur maior, cum sit propinquior: vt patet in sequenti figura.

Stella super caput nostrum.




Quod stella maior puta Sol dum oritur in mane quam dum est in meridies videatur. Causa sunt vapores grossi, qui

qui eleuantur in mane in aere, & tunc videmus Solem, partim per aerem medium, partim per vapores grossos, quando autem est in meridie videmus tantum per aerem subtilem, & hæc est eadem causa de maioritate denarij in aqua, quia videtur partim per aerem medium, & partim per aquam, quæ est grossior aere. quando autem est extra aquam, videtur solum per aerem. Ideo videtur in propria quantitate.

De rotunditate terræ.

Quod terra sit gibbosa ab oriente ad occidentem, signum est, quia habitantibus in India, quæ est in oriente, citius occidit Sol in sero, quam Hispanis, qui sunt in occidente, & hoc patet in sphaera materiali. ergo signum est quod inter Hispaniam & Indiam est terra gibbosa, & non plana.

Iterum est gibbosa à polo artico ad antarcticum, signum est quod illi qui nauigant ex Hispania ad meridiem per mare oceanum non amplius vident polum arcticum cum transferint æquinoctialem, & tunc vident polum antarcticum, qui sic figuratur, secundum Americum vesputium Florentinum, in tractatu de mundo nouo.



Nota quod licet terra sit rotunda, tamen ex sua magnitudine videtur plana, ratio est ista, quia videtur causare diametrum pyramidis ex parte basis æqualem lateribus. Sicut causant corpora verè plana: vt patet in præfenti figura, licet etiam quod terra sit rotunda, non tamen est sphaerica. vide supra tom. j. fol. 223. per tot. c. 4.

De rotunditate aquæ.



Quod aqua sit rotunda, probatur duplici ratione, primo elongata nauis à portu, ille qui est in summitate arboris in nauis, videbit homines stantes in littore, vel aliquid signum, & ille qui est ad pedem arboris non videbit. ergo signum est, quod inter nauem & littus est aqua gibbosa. hoc probatur experientia, secundo cum quælibet pars aquæ sit aqua, si partes aquæ, vt guttæ roris super herbas sunt rotundæ, signum est quod tota aqua debet esse rotunda, & nota quod corpus homogeneum est illud quod de qualibet sua

parte prædicatur in recto, vt omnis pars aquæ est aqua, & omnis pars aeris est aer, & sic quatuor elementa sunt homogenea, figura de nauis patet superius.




Quod terra comparata cælo, sit qua punctus & minime quantitatis. (Vide supra secundam conclusionem, tom. i. fol. 223.) vbi dicitur quod semper super caput nostrum sunt sex signa zodiaci, nam videmus in opinione Lunæ, quod si Sol est in Scorp. Luna est in Taur. & occidente Sole cum Scorp. Luna oritur cum Taur. Sed à Taur. ad Scorp. sunt 6. signa, scilicet, Taur. Gem. Canc. Leo, Virg. Libra. Inde sequitur Scorpio. vt patet in ista figura.

Figura qua non videmus 6. Signa. si terra non est in medio mundi.



Quod terra sit centrum, i. in medio mundi posita probatur per Ptholomæum in almagesto. dist. i. cap. 6. Ratio est hæc, si terra non est in medio mundi, ergo vel est propinquans orienti, vel occidenti, artico, vel antarctico. Sed neutrum istorum potest esse. Nam si est propinquans orienti, ergo stella in ortu suo videbuntur maior, quia esset propinquior. Similiter si propinquat occidenti videbitur maior in occasu, eadem ratione propinquior. Si est propinquans artico non videbitur sex signa, quod patet si ducatur linea in superficie terræ ad vtraque partem zodiaci, vt patet in præfenti figura.

Figura qua declarat non posse fieri eclips. Lunæ, si terra non est in medio mundi.



Item nunquam fiat eclipsis Lunæ, quia ad hoc quod eclipsis Lunæ fiat, necesse est terram interponi inter Solem & Lunam. Si non est in medio mundi non interponetur, vt patet in figura præfenti.

De immobilitate terræ.

Quod terra quæ est situata in centro mundi sit immobilis, probatur dupliciter. Primò omne graue naturaliter si non est impeditum descendit ad centrum mundi, & illic quiescit. Sed terra est grauis, ergo naturaliter descendit ad centrum mundi, & illic quiescit, ergo non mouetur. Secundo si terra quæ est in medio mundi mouetur, ergo mouetur vel

vel versus orientem, vel occidentem, vel arcticum, vel antarcticum, vel supra nos, vel infra nos. Sed nullo talium modorum potest moveri, quia quocumque modo moueretur, appropinquaret caelo, & sic ascenderet, quia idem est ascendere, & caelo appropinquare. Sed terra cum sit grauis, non potest naturaliter ascendere, ergo non mouetur.

Nota quod Pythagoras vt refert Arift. in 2. lib. caeli, opinatur quod terra circungiratur super axem suam, & quod caelum non mouetur, licet videatur moueri. Sicut illis qui sunt in nauis videtur nauis stare & ripas currere, cum tamen in veritate sit oppositum. Sed hanc opinionem reprobatur Arift. sic. Si quis proiciat directe sursum lapidem, videmus quod lapis descendit ad eundem locum in quo motus est, ergo signum est quod terra non circungiratur. Non ergo aliquo modo tota terra mouetur.

Propter quod nauiganti, terra & arbores videntur moueri. Respon. Arift. in lib. de somno & vigil. & ratio est haec. Quando homo quiescit, & oculus eius quiescit, res visa imprimitur in oculo figuram suam quiete, & tunc videtur res eo modo quo est, sicut quiescens aut mota, quando autem homo velociter ambulat, aut vehitur, etiam oculus eius mutat locum velociter, & tunc res visa, imprimitur figuram suam in oculo non quiete, ex quo oculus non quiescit. Sed pertranseundo, & tunc res visa videtur moueri, licet quiescat: nam & oculus tunc est in motu, & recipit figuram rei cum motu.

De magnitudine terrae.

De magnitudine terrae tres sunt opiniones, prima est Aristotel. in 2. lib. caeli, qui dicit quod circundat. 400000. stadia, i. 50000. miliaria. Secunda opinio est Alfragani. distinctio. sexta differentia octaua qui dicit quod continet 20400. miliaria. Tertia opinio est auctoris qui dicit quod continet 31500.


Quaque litera in figura diuisa continet sex gradus, ita quod per praesentem figuram habes caelum diuisum in 360. partes.



Qui probat opinionem suam hoc modo. Si duo vel plures circuli fondentur super idem centrum. Quot partes fiant in maiori tot fiant in minori, licet inaequales id est, magis stricte propter quod caelum habeat idem centrum secundum Astrologos. Sicut diuiditur caelum in 360. gradus, similiter terra diuiditur in totidem, & ex hoc inueniet quantitatem terrae assignando cuilibet gradui miliaria. 87. & medium, quod si multiplicabis 360. cum 87. confurgent 31500. Diameter terrae in prima opinione est miliaria. 16666. & stadia 5. In secunda miliaria. 6800. In tertia miliaria 10500. Medius diameter, i. a superficie terrae vsque ad centrum inferni. In prima opinione est miliaria. 8333. stadia. In secunda miliaria 3400. In tertia miliaria 5250. & hoc spatium mensuratur est aeneas secundum Virgilium descendens in tartarum. Vide etiam supra Tom. 1. fol. 221. per tot tractat. 3. qui diuiditur in 5. capita. In primo ponuntur opiniones antiquorum circa motum locum vel quietem & figuram terrae. In secundo pertractatur secundum veram opinionem philosophi, vtrum terra sit sita in medio mundi, vt in centro. In tertio pertractatur vtrum terra sit immobilis, an semper moueatur. In quarto vtrum terra sit figura sphaerica. In quinto quanta sit magnitudo terrae totius terrae in circuitu.

Quomodo terra sit discooperta ab aquis.

A Caelum Lunae B Aer C Terra D Aqua




Nunc restat videre aliquas opiniones qualiter sit discooperta, cum aqua sit maior ipsa terra, super illud verbum. (quorum trium quodlibet) prima opinio patet supra Tom. j. fol. 270. cap. 3. quae est D. Alberti, quam sequitur scola philosophantium.

Secundum Theologos duplex est modus. Primus, quem magis approbat B. Thom. 1. q. 69. ad secundum est quod ea pars aquae, quae operiebat terram (potentia diuina) defluxit inferius, & tamen aqua remansit concentrica terrae, licet altior terra, quia aquae in maiorem altitudinem sunt eleuatae in loco vbi sunt congregatae. Nam compertum est in mari rubro, mare esse altius terra, vt dixit Basilius in exameron. Sed nota quod sensus huius opin. non est quod ita eleuatae, quod faciant tumositate & dispositionem, sicut faciunt montes, & valles in terra, sed ita eleuatae sunt quod ex omni parte ipsius aquae, longiores factae sunt lineae a centro terrae ad circumferentiam ipsius aquae, & propter hoc soluitur ratio quorundam, qui dicunt quod si aquae essent eleuatae, apparerent montuositates in mari, & hanc quidem opinionem magis approbat B. Tho. ex tribus in prima parte vbi supra. Figura huius opin. patet ibi. sed causa breuitatis dimittuntur omnes caeli, praeter caelum Lunae.

Huius opin. est etiam auctor sphaerae, qui tenet quod aqua ex natura sua deberet ex omni parte circundare terram. Sed ad conseruandam vitam animalium, non circundat eam dispositione diuina.

A Caelum Lunae B Aer C Terra D Aqua eccentrica.




Alius modus est qui ponitur in 1. c. Genesis in addition Nicol. de Lyra, vbi dicit, quod Deus gloriosus, vt terra secundum patrem discooperta remaneret fecit aquam eccentricam (vt patet in praesenti figura) ita quod magis tractum est centrum aquae infra centrum terrae. Et sic pars terrae supernatauit. Et nota quod Ouidius in 1. Mech. videtur fuisse huius opinionis. Nam tenet quod aqua possideat vltimum locum inter elementa, & sic quod centrum aquae sit inferius centro terrae. Sic enim inquit. Circumfluit humor, vltima possedit solidumque coercuit orbem.

Hae

Hæc est figura dom. Alberti prima opinionis.

A Cælum Lunæ B Aer C Terra superior D. Oceanus
cingens terram E Terra inferior.



Nota quod aqua ingrediens terram ex parte poli antarctici dicitur mare rubrum, & ex parte occidentis mare mediterraneum, quod est transiens per Italiam.

C A P. II. De æquinoctiali.

Inter omnes circulos componentes spheram, primus est æquinoctialis, qui ponitur esse in nona sphaera id est primo mobili, omnes autem alij circuli sunt in cælo stellarum fixarum. De æquinoctiali conuenienter tractatur ante omnes alios, quia est regula omnium aliorum, & per eum diffiniuntur, vt patebit infra.

Circulus maior in sphaera habet duas condiciones: primo diuidit totum cælum in duas partes æquales, secundo prominet centro mundi. Nam si totus mundus diuideretur vsque ad centrum, tunc clare appareret talem circulum super centrum eminere.

Circulus minor habet condiciones oppositas, nam non diuidit totum cælum, nisi in partem maiorem & minorem, & declinat à centro mundi, vt patet in sphaera materiali.

Æquinoctialis est circulus imaginatus in noua sphaera, diuidens eam æqualiter, distans etiam æqualiter ab arctico, & antarctico.

Iste circulus dicitur æquinoxialis, primo quia quando Sol motu proprio, qui est ab occidente ad orientem, transit super hunc circulum, scilicet in Ariete, id est in medio Martij, & in Libra, id est in medio Septembris. Dies est æqualis nocti.

Secundo dicitur æquator diei artificialis. Vnde nota quod dies est duplex, scilicet naturalis, & artificialis. Naturalis est motus Solis secundum raptum primi mobilis, id est ab oriente in occidentem. Iterum in oriente rediens in 24. horis artificialis est motus Solis à mane vsque ad principium noctis.

Tertio dicitur cingulus primi motus, qui imaginatur cingere primum mobile in medio, sicut cingulus circumdat aliquod corpus in medio.

Notandum vltimum, quod auctor assimilat duos motus cæli, duobus motibus, qui sunt in homine, scilicet motui rationis, & motui sensualitatis, & dicitur homo microcosmus, id est minor mundus, à micros quod est paruum, & cosmos mundus, quia in homine sunt omnes modi essendi qui conueniunt rebus creatis. Nam eorum quæ sunt, quædam habent solum esse, vt cæli elementa, inanimata corporea, quædam habent esse & vivere, vt herbe & plantæ, quædam habent esse viuere, & sentire, vt animalia bruta, quædam habent esse viuere, sentire, & intelligere, & hic est homo. Ideo vocatur paruum mundus.

De circulo zodiaco.

Zodiacus est circulus obliquus diuidens octauum cælum in duas partes æquales, cuius vna medietas declinat ad arcticum, scilicet ab Ariete per Cancrum ad Libram, altera

medietas, declinat ad antarcticum, scilicet à Libra per Capricornum ad Arietem, sub quo mouentur omnes planetæ, vt patebit.

Propter quod vna eius medietas declinet ad arcticum, alia ad antarcticum. Ratio est hæc, quia si zodiacus situaretur in sphaera sicut tropicus Cancrj, per totum annum nos haberemus tantum calorem, quantum habemus tempore Iulij, tunc enim Sol est in Cancro, & sic terra adeo exsiccaretur, quod nihil produceret, & complexio nostra deficeret. Si situaretur sicut æquinoctialis, semper haberemus ver. vel autumnum. Tunc enim Sol est in Ariete vel in Libra, & sic licet terra posset generare aliquos fructus non tantum maturefcerent ex remisso calore. Si situaretur, vt tropicus Capricorni, haberemus continuum frigus sicut in medio Decembri. Tunc enim Sol est in Capricorno, & terra nihil produceret. vt ergo terra versus arcticum conuenienter posset habitari, voluit bonitas Dei zodiacum secundum medietatem declinare ad arcticum, vt haberemus ver, æstatem, autumnum, & hyemem. Nam in Ariete fit ver, in Cancro æstas, in Libra autumnus, in Capricorno hyems. Similiter vt terra versus antarcticum posset habitari, voluit bonitas diuina zodiacum secundum aliam medietatem declinare ad antarcticum, vt haberemus ver in Libra, æstatem in Capricorno, autumnum in Ariete, & hyemem in Cancro.

Item nota quod dicitur circulus obliquus, quia intersecat, vel coniungitur æquinoxiali oblique, & facit angulos sphaerales obliquos in Ariete & in Libra, vt patet in sphaera materiali.

Polus Arcticus.



Polus Antarcticus.

Item quomodo describatur zodiacus & sit realiter in octauo cælo, videbis igitur de dispositione imaginum cælestium,

Vel dicitur à zodian quod est animal, quia cum diuidatur in 12. partes æquales, quælibet pars appellatur signum, vt patebit. Et nota quod 12. signa sic denominantur à diuersis proprietatibus talium animalium, quæ secundum similitudinem inueniuntur in talibus signis sic.

- 1 Arietis ventillat cornibus, sic Sol in Ariete ventillat, id est diuidit hyemem à vere.
- 2 Taurus, vel bos terram scindit arando, & germinare eam facit, sic Sol in Tauro aperit terram ex calore, & eam germinare facit.
- 3 Gemini duplicem virtutem habent, sic Sol in Gemini, duplo plus terram calefacit.
- 4 Cancer retrocedit, sic Sol in Cancro incipit recedere à nobis.
- 5 Leo robore feruet, sic ex Sole in Leone, terra feruet.
- 6 Virgo vt Virgo non parit, sic terra ex Sole in Virgine nihil producit, sed producta matura fiunt.
- 7 Libra, æquat pondera, sic Sol in Libra, æquat diem nocti.
- 8 Scorpio cauda ferit, sic Sole recedente in tali signo ferimur frigore.
- 9 Sagittarius à facie percutit, sic Sol in illo signo, nos manifeste frigore ferit.
- 10 Capricornus cornua reflectit, sic Sol in illo signo incipit ad nos reuertere.
- 11 Aquarius est summe humidus, sic ex Sole in illo signo omnia sunt humida.
- 12 Piscis natat in aqua, sic ex Sole in illo signo, omnia sunt plena

plena aquis, aut glacie, aut niue.

Nota autem quod secundum Aegyptios sunt 12. signa, vt ponitur in textu, secundum Chaldeos sunt tantum 11. nam ponunt Libram & Scorpionem pro vno signo, & vocant chellas.

Quodlibet autem signum diuiditur in 30. gradus, vnde patet quod in zodiaco sunt 360. gradus secundum autem astronomos iterum quilibet gradus diuiditur in 60. minuta. Et sic diuiditur zodiacus ab astronomo, ita & quilibet circulus in sphaera, siue maior, siue minor in partes conformes, sicut in 360. gradus. Cum omnis circulus in sphaera praeter zodiacum, intelligatur sicut linea, vel circumferentia, solus zodiacus intelligitur vt superficies, habens in latitudine sua 12. gradus. Omne signum 30. gradus in longitudine habet 12. vero in latitudine.

De ecliptica.

Linea autem diuidens zodiacum in circuitu, ita quod ex vna parte sui relinquat sex gradus, & ex alia parte alios sex, dicitur linea Ecliptica, quia quando Sol & Luna sunt linealiter sub illa, contingit eclipsis Solis, aut Lunae.

Sol quidem semper decurrit sub ecliptica, omnes alij planetae declinant, vel versus arcticum, vel versus antarcticum modo Lineae eliciae, quandoque autem sunt sub ecliptica.

Item zodiacus est pars octauae sphaerae ex sententia Iginii astronomi. Et nota quod sunt inuenta ab antiquis in octaua sphaera 40. signa notabilia ex diuersa figuracione stellarum fixarum, ex quibus eliciuntur 12. quae faciunt zodiacum, sunt autem omnia signa haec arctos & describuntur numeri stellarum pro quolibet signo, & omnia signa quae praecedunt Arietem, sunt a parte septentrionali, quae autem sequuntur Pisces, sunt ad austrum declinantia.

Signa quae praecedunt Arietem.

1	Vrsa maior Stellis.	21
	Vrsa minor.	7
2	Draco inter duas vrsas.	15
3	Arctophilax, vel bootes vel acturus.	14
4	Corona.	9
5	Ceteus vel engonasis.	19
6	Lira.	9
7	Holor P. cignus.	13
8	Cepheus.	19
9	Cassiopeia.	13
10	Andromeda.	20
11	Perseus.	17
12	Auriga.	7
13	Serpentarius ophiulcus.	23
14	Sagitta.	4
15	Aquila.	4
16	Delphinus.	10
17	Equus alatus.	18

Duodecim Signa zodiaci.

18	Aries.	18
19	Taurus.	14
	ibi sunt pleiades.	7
20	Gemini.	18
21	Cancer vel carcos.	18
22	Leo.	19
23	Virgo erigone.	16
24	Libra chelle.	5
25	Scorpio. Nepa.	19
26	Sagittarius. chiron.	15
27	Capricornus. Egocero.	22
28	Aquarius.	30
29	Pisces duo: primus, 17. secundus,	22

Signa quae sequuntur Pisces.

30	Cete vel Balena.	13
31	Eridanus flauius.	13
32	Lepus.	6
33	Orion.	17
34	Canis maior Sirius.	19

Iauel. Tom. iij.

53	Canis minor proteion.	3
36	Argos vel nauis.	23
37	Centaurus.	33
38	Ara	4
39	Ydra cum coruo, & ciato.	48
40	Piscis vnus qui dicitur notius.	12


Nota quod in circulo sequenti sunt 12. piramides, quarum bases sunt 12. signa, & summitates sunt in centro terrae, & hoc modo Sol & alij planetae sunt vere in signis, quia conuenienter in aliqua calium pyramidum sunt, vt patet in sequenti figura, & quando Sol est in signo, dicitur, quod est sub signo cancri, vt patet.



De duobus coluris.

Colurus est circulus maior, transiens per polos mundi, vt patet in sphaera materiali. Descriptus in octauo caelo, per hoc quod dicitur transiens per polos septem differt ab aequinoctiali & zodiaco, per hoc quod dicit. Descriptus in octauo caelo, differt ab horizonte recto, qui licet transeat per polos mundi, non tamen est subiectiue in octauo caelo, vt dicemus in cap. sequenti.

Nota quod licet colurus sit circulus perfectus, tamen dicitur colurus quasi semicirculus, vt cauda bouis Siluestris, quia secundum nostrum aspectum medietas vna est sub horizonte, & alia super horizontem, & solum eam quae est super horizontem videre possumus.



Colurus distinguens solsticia, est ille qui coniungitur Cancro, & Capricorno. nam quando Sol est in primo gradu Cancri, sc. circa medium Iunij, tunc fit solsticium aestiuale

uale, quasi statio Solis, quia non amplius est propinquans nobis. Sed incipit elongari à nobis per Leonem, & Virginem, vel similiter quando Sol est in primo gradu Capricorni, circa medium Decembris, tunc fit Solstitium hyemale, quasi statio Solis, quia non amplius recedit à nobis, sed incipit iterum ad nos reuertere per Aquarium, & Pisces. Colurus distinguens æquinoctia, est ille qui coniungitur Arieti, & Libræ: nam quando Sol attingit motu proprio primum gradum Arietis, sive in medio Martij, dies æquatur nocti in toto mundo. Similiter quando attingit primum gradum Libræ, sive in medio Septembris, primum æquinoctium dicitur vernale, secundum, autumnale.

Nota quod Zenith est punctus imaginatus in octauo cælo supereminens alicui rei quæ sit in terra, ita quod si ducta Linea recta ab illo puncto ad talem rem, tanget eam, & sic quicquid est in mundo habet proprium & distinctum Zenith: unde quodlibet indiuiduum corporeum habet particularem Zenith, vt patet in præfenti figura.

De Meridiano.


Meridianus est circulus maior in sphaera transiens per polos mundi sicut duo coluri, & super Zenith capitis nostri, hæc vltima particula non figuratur nisi in sphaera materiali.

Meridianus habet hoc officium, quod diuidit in duas partes æquales diem artificialem. Nam si Sol in mane oritur hora 12. in hora decima octaua est meridies, quia iam medius motus Solis super orizontem est peractus, & altera medietas est peragenda.

Et notandum est quod ciuitates quarum vna magis accedit ad orientem quam alia, habent diuersos meridianos.

Nota quod non in omni regione fit meridies eadem hora, sed illi qui sunt in India citius habent meridiem, quia citius eis Sol oritur, propter gibbositatem terræ, illi autem qui sunt æqualiter distantes ab oriente, eadem hora habent meridiem.

Vt autem cognoscatur quando duæ ciuitates habent eundem meridiem vel diuersum, feci figuram infra, in qua trahuntur plures lineæ ab arctico ad æquinoctialem, & alias traxi ab oriente ad occidentem quæ omnes se interfecant per angulos rectos. Illæ igitur ciuitates quæ sunt in eadem linea ducta ab arctico ad æquinoctialem, habent eundem meridiem, sicut Mediolanum & Papiæ. Illæ autem quæ sunt in diuersa linea habent diuersum meridiem, sicut est India & Armenia. Item omnes ciuitates quæ sunt in eadem linea ducta ab oriente ad occidentem, habent polum arcticum æqualiter sibi eleuatum, vt Roma & Tibur ciuitas, quæ autem sunt in diuersa linea non habent polum arcticum æqualiter eleuatum, vt Roma & Ierusalem, vt patet in sequenti figura.




A Mare. B Circulus descriptus in superficie terræ correspondens æquinoctiali. C Terra australis, incognita secundum Ptolomæum. D Lineæ latitudinum ab oriente ad occidentem ductæ. E Lineæ longitudinum ab arctico ad æquinoctialium ductæ.

Loca quæ habent eundem meridiem, dicuntur esse in æquali longitudine, i. æquali distantia ab oriente, vt Mediolanum. Loca autem quæ habent polum arcticum æqualiter sibi eleuatum, dicuntur esse in æquali latitudine, i. æquali distantia à polo arctico. Vt Roma & Tibur.

(Meridies) si vis in quolibet loco meridiem inuenire, & quolibet die. Describe circulum in plano, in cuius centro erige stillum perpendiculariter, & pone in loco alto vbi tangat Sol in ortu, & occasu, & cum Sol oritur, nota locum vmbre stilli. Similiter cum occidit. Deinde diuide in duo equalia arcus interceptos inter illa duo puncta, & protrahe in opposito diuisionis per centrum circuli diametrum. Tunc cum fuerit vmbra stilli in hac diametrali linea, erit meridies, vt patet in præfenti figura.

A Vmbra occidentalis B vmbra orientalis
C vmbra meridiana D stillus.



Et nota, quod per hoc instrumentum, inuenitur etiam certissime latitudo regionis quæ est distantia zenith ab æquinoctiali, quæ quidem distantia est æqualis altitudini poli in omni regione, vt probatur in text.

Nam sole existente in primo gradu Arietis vel Libræ, quando vmbra Solis ceciderit super lineam diametralem circuli, notetur altitudo Solis cum quadrate vel astrolabio, deinde altitudo Solis subtrahatur à 90 gradibus, & residuum erit altitudo regionis, hæc est distantia zenith ab æquinoctiali, vel eleuatio poli super orizontem.

Orizon est circulus descriptus in superficie terræ, diuidens cælum in duas medietates, quarum superiorem semper videmus, & dicitur hemisphaerium superius, i. media sphaera superior, medietatem autem inferiorem non videmus, & dicitur hemisphaerium inferius, i. media sphaera inferior.

Orizon dicitur quasi terminans visum nostrum circa cælum, & cognoscitur, quando sumus in aliqua magna planitie, nam tunc apparet nobis quod cælum ex omni parte per circuitum tangat terram, vel mare. Inde apud poetas fingitur quod Sol in occasu tingatur in oceano, quia videtur per orizontem descendere in oceanum. Illa igitur linea circularis circa terram, dicitur orizon.


Orizon rectus est ille qui transit per polos mundi, & directè super æquinoctialem, vt patet in sphaera, & talem orizontem habent illi, qui sunt sub æquinoctiali.

Orizon obliquus est ille qui non transit per polos mundi, sed cadit oblique super æquinoctialem, ita quod vnum polum habet supra se, & alterum sub se, & talem orizontem habent illi qui habitant ultra æquinoctialem, vt nos qui sumus, versus arcticum.

Polus & diameter orizontis, est Zenith capitis nostri, quia si trahatur linea directè à zenith vsque ad aliam partem coluri oppositam, transibit per medium orizontis, & diuidet orizontem per duas partes æquales, vt patet in sphaera. zenith tantum distat ab æquinoctiali quantum eleuatur polus arcticus super orizontem obliquum & probatur sic, sumo quartam partem coluri qui tangit Cancrum, quæ est ab æquinoctiali ad polum arcticum. Item aliam quartam partem eiusdem coluri, quæ est à zenith vsque ad orizontem obliquum sub polo arctico, & remoueo per imaginationem illam partem coluri, quæ est à zenith vsque ad polum, ergo alie duæ partes erunt æquales, sc. distantia zenith ab æquinoctiali, & eleuatio poli arctici super orizontem obliquum, & hoc patet ad sensum commensuratio fig

tio figura patet.

a e Orizon obliquus b f Aequinoctialis c Zenith.



Arcticus.

Antarcticus.

Vtrum autem nos habitemus in hemisphaerio superiori vel inferiori. Notandum qd Arist. tenet in 2. lib. cæli, qd licet secundum aspectum nostrum videamur esse in hemisphaerio superiori (quia videmus polum arcticum) tamen secundum veritatem sumus in hemisphaerio inferiori, quia semper habemus orientem à parte dextera, ergo est necesse qd imaginemus hominem habentem caput in polo antarctico, & pedes in polo arctico: & cum pedes sint pars inferior in homine, nos qui habitamus versus polum arcticum habitamus in hemisphaerio inferiori. Illi autem qui habitant versus antarcticum, sunt in hemisphaerio superiori. Alii ter haberemus orientem à parte sinistra, quod est inconueniens, vt patet in figura.



De quatuor Circulis minoribus.

Tropicus Cancræ est circulus minor, diuidens octauum cælum in duas partes inæquales, descriptus vltimatè à Sole existente in solstitio æstiuo, i. in principio Cancræ. Nam secundum astrologos, annus incipit in principio Arietis, i. in medio Martij, & Sol quolibet die pertranscundo vnum gradum zodiaci, describit vnum circulum, raptu firmamenti, conuoluè ascendendo versus nos, vsque ad principium Cancræ, vnde tot circulos describit à principio Arietis vsque ad principium Cancræ, quot sunt dies à medio Martij vsque ad medium Iunij. Circulus autem vltimatè descriptus in principio Cancræ, est tropicus Cancræ.

Et nota qd annus secundum Ecclesiam incipit in principio Decembris, i. in Sagittario. Secundum Romanos, incipit in principio Ianuarij in secunda parte Capricorni, & secundum Astrologos incipit in medio Martij in principio Arietis. Quia eo tempore mundus creatus est, & omnes cæli ceperunt habere motum suum, sicque desinent moueri tempore Iudicij, vt Dantes inquit in principio cantus inferni:

Tempo era dal principio del marino,
Che Sol montaua su con quelle stelle
Ch'è non cum lui, quando l'Amor diuino
Messe di prima quelle cose belle.

Item iste circulus dicitur tropicus Cancræ, i. conuersio Solis in Cancro: nam quando Sol est in Cancro, non potest ad nos magis accedere, sed incipit se conuertere ad meridiem per Cancrum, & Leonem, & Virginem.

